14

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
THEORETICO-PRACTICA.

DE

ATROPHIA UNIVERSALI ET PARTICULARI.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS WESSELII,
S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII, ET ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,
Publico ac solemni Examini submittit

JOANNES HENRICUS STULEN,
Northorna Bentheimensis.

Ad diem 5. Julii. 1728. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF, 1728.

SPECTATISSIMIS PRUDENTISSIMISQUE

VIRIS

DN. PETRO STULEN,

UT ET

DN. HERMANNO STULEN,

FRATRIBUS GERMANIS, NEGOTIATORIBUS APUD STEINFURTENSES MULTARUM RERUM EXPERIENTIA SPECTATISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, FELICISSIMIS, PRO-PATRUIS SUIS OPTIME DE SE MERITIS, AD VLTIMUM VITÆ HALITUM AMANDIS, VENERANDIS, DECORANDIS.

NEC NON

DN. GERHARDO BERNHARDO STULEN,

URBIS NORTHORNÆ CONSULI DIGNISSIMO, ECCLESIÆ PATRIÆ SENIORI PROBATISSIMO, MERCATORI PRUDENTISSIMO, PARENTI SUO UNICE DILECTISSIMO, OMNI FILIALI REVERENTIA ET AMORE, QUAMDIU SPIRITUS HOS REGET ARTUS DEVENERANDO.

Hosce Academicos labores in grati animi tesseram, ea, qua par est pietate & reverentia offert & dedicat

J. H. STULEN.



DISESRTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ATROPHIA UNIVERSALI ET PARTICULARI.

PROOEMIUM.



um tandem ordo ad me pervenerit, ut ad gradum Doctoratus adspirem, & leges hujus Academiæ neminem ad hunc permittant, nisi prius laborum suorum edat specimen; hinc & ego coactus fui id præstare: sed quam invitus! vivimus enim in seculo, quo ars medica in summum fastigium evecta, omniaque tam erudite exculta & exhausta sunt, ut ferè nil novi addi possit: quoniam vero lex Academica, cui tantummodo obsequiosus esse studeo, non nova, sed haustæ, â præceptoribus doctrinæ, specimen exigit, L.B. a me quoque, nil novi exspectare velit. In eligenda materia pro specimine exhibenda, propter ingentem morborum, qui statim post protoplastorum lapsum prodiere, & immaniter increvere, numerum, dubius diu hæsi; tandem tamen animus incidit in atrophiam universalem & particularem, morbos certe generi humano infestissimos, pertinacissimos, sæpe incurabiles & funestos: ad horum itaque pertractationem, quamvis illi superſedere maluissem me accingam,

monens interim, quod omnia quæ forte bona de his dixerim, hausta sint ex bonis laudatisque Auctoribus, liberalique eruditionis fonte, Celeberrimorum hujus inclytæ Academiæ Professorum Medicorum, imprimis Excellentissimi & per totum terrarum orbem adeo Clari in arte Medica viri HERMANNI BOERHAAVE, qui prima scientiæ meæ fundamenta posuit, cui itaque, una cum reliquis exoptatissimis meis præceptoribus omnia debeo, & eorum esse omnia, quæ bene scripserim, fateri non pudet: nemo enim juvenum & tyronum tam audax, ut dicat, omnia, quæ pro specimine ponit, esse propria observata & inventa: quæ vero vitiosa, erronea, & rudiori nimis calamo conscripta, forte invenientur ea mihi imputanda esse lubens agnosco, & L. B., qui facile cogitat, nunquam laudem studiorum inchoationis & consummationis, in unum incidere temporis punctum, etiam atque etiam rogo, ut ignoscat, quæ deficiant suppleat, minus recte intellecta & proposita corrigat, hæcque omnia æqui bonique consulat Faxit interim Deus T. O. M. ut omnia vergant in nominis sui gloriam proximique Salutem.

CAPUT PRIMUM,

De Etymelogia vocis & Definitione.

§. 1.

Cum hanc materiam tractare decreverim, primo nominis derivatio, ejusque significatio tradenda erit. Vox itaque atrophiæ a Græcis desumta, derivatur ab α privativo & τρέφω nutrio; hinc ἀτρωφία, innutritionem seu nutritionis defectum significat, & fit, vel quando ipsa alimenta vel plane non, vel non sufficienter saltem, assumi & in corpus ingeri possunt; vel fit quando teste GALENO corpora ex alimento assumto fructum non sentiunt: quæ si corpori accidunt, quoniam tunc non amplius rite nutritur, cito contabescit & perit.

§. 2. Definitur itaque atrophia universalis, quod sit: *Lenta*

ta extenuatio totius corporis, a ſimplici nutritionis defectu, nata.. Particularis vero, quod ſit: *lenta extenuatio non corporis totius; ſed ſolummodo alicujus ipſius partis, quoque a nutritionis defectu orta.*

§. 3. Definitione data, atrophia noſtra univerſalis diſtinguit ſe a phthiſi, phthoë & tabe, quæ voces, quamvis propriè omnem conſumtionem corporis ſignificent; Medicis tamen præcipue denotant talem extenuationem ſeu conſumtionem corporis, quæ ab ulcere pulmonis vel alterius cujusdam viſceris oritur: atrophiæ vero noſtræ, diverſa prorſus natura eſt, cum non ab ulcere pulmonis aut alterius cujusdam viſceris, ſed ſolo nutritionis defectu, ab innumeris aliis cauſis oriundo naſcatur: male ergo hæc nomina inter ſe confunduntur ab iis, qui per phthiſios vel tabis nomen atrophiam intelligunt; ſunt enim affectus diverſi, quare & ab aliis, atrophia hæcce univerſalis, vocatur phthiſis vel tabes ſpuria ſeu notha, ut ſic a vera tabe vel phthiſi diſtinguatur. Differt quoque hæc atrophia a καχεξία, cujus pejor gradus eſt, quatenus in cachexia corpus quodammodo tumet & plenius, apparet, in atrophia vero extenuatur & areſcit. Porro atrophia & μαρασμὸς, quoque gradu tantummodo differunt; marasmus enim eſt ſummus atrophiæ gradus, cum ſummo corporis marcore & ariditate: non tamen intelligo hic illum maraſmum, qui in veris phthiſicis a febribus hecticis oritur, quæ febres ideo maraſmodes veteribus vocabantur; ſed ſummam illam exſiccationem & extenuationem corporis, quæ ab ipſa noſtra atrophia, quando in ſummum gradum pervenit, oritur, & hic marasmus, in ſumma ſenectute, ſenibus plerumque evenit, a nimia corporis rigiditate nutritionisque defectu: hinc & AETIUS (a) dicit, febrim hecticam vocari ſenectam ex morbo, quia eodem modo corpus extenuat, ac fit in iis, qui ſecundum naturam, ad extremam ſenectam perveniunt citra febrim. Denique differt hæc atrophia univerſalis ab ea, quæ particularis vocatur, quatenus in particulari tantum aliqua corporis pars exte-

(a) Lib. univerſ. pag. 244.

tenuatur & atrophia laborat, reliquis vero partibus nihil tale patientibus, ut V. G. oculorum, brachiorum, crurumve marcor & atrophia; in universali vero totum corpus extenuatur, contabescit & exarescit, imo sæpe adeo, ut solis tendinibus & ossibus constare videatur, & vix supersit pristina, sed modo mortis imago.

§. 4. Hisce præmissis, possem jam transire ad causarum horum morborum historiam; sed ut eo melius ad hanc pervenire queam, pauca adhuc præmittenda erunt, de nutritione, in cujus defectu solo, omnis atrophia consistit.

§. 5. Nutritio igitur fit; *quando precisè tantum & tale, quantum & quale per corporis nostri vitæ vires perditum est, restituitur iidem corpori:* hæc nutritio est duplex, nempe respectu fluidorum & solidorum: respectu fluidorum est illa actio, quæ replet vasa liquido tanto & tali, quantum & quale per actiones vitæ perdiderunt: respectu vero solidorum est illa actio, quæ reddit ipsis vasis, tantum & tale, quantum & quale, per actiones vitæ, de iis detritum est, in hisce binis actionibus consistit tota nutritio. Ut vero hæ actiones fieri possint, requiruntur 1°. partes assumtioni, manducationi & deglutitioni alimentorum inservientes integræ. 2°. Omnium viscerum, vasorum humorumque actiones illæsæ, quibus solis, assumtorum alimentorum, in inquilinos nostros humores & bonam materiam nutritiam elaborario, fieri potest: Certum enim est, quod id quod solida nutrit, sit ultimum elaboratissimum, quod omnes corporis nostri vitæ vires passum est; debet utique alimentum assumtum, antequam nutrire, & id quod de corpore nostro perditum est restituere possit, ita per viscerum, vasorum humorumque corporis nostri actiones assimilatum esse iidem corpori, ut fiat jam ipsum, quo constat corpus nostrum; nam nutritio solidi fit per nervos & vascula minima nervis simillima, in quibus est elaboratio maxima, & quoniam hæc vascula minima & nervi, omnem suum humorem ex majoribus habere debent, requiritur, ut sanguis actione cordis & arteriarum, ita appellat ad hæc minima vascula,

cula, cerebrum, nervosque ut ex eo spiritus & elementa nutritia secerni & ad interstitia, a particulis solidorum, per attritum humorum ablatis, vacua relicta, afferri, applicari, intrudi & mole, figura, naturaque perditis particulis respondentia, accommodari possint. Hæc elementa nutritia sunt subtilissima, ut experimenta MALPIGHIANA, de ovo incubato capta, docent: serum enim sanguinis nostri, nutritium humorem continens, albumini ovi simillimum est, sapore, odore, imo omnibus dotibus, utrumque per experimenta chemica exploratum, easdem omnino patitur mutationes eademque exhibet producta; utrumque aquæ ferventi vel alcoholi vini immissum, coagulatur in massam solidam scissilem. Ex hoc albumine ovi, solo gallinæ incubatu, fiunt liquores tam subtiles, ut ire possint, per minima pulli, magnitudine sua, forte non millesimam grani sabuli partem æquantis vascula; imo intra spatium 21. dierum, totum hoc albumen mutatum est in pullum, ossibus, unguibus, rostro, plumis &c. præditum. Si vero ovum non imprægnatum a mare, gallinæ incubanti supponitur, totum illud albumen, solo illo incubatus calore, tam subtile fit, ut penitus exhalet in auras, invisibilis liquoris specie: idem sanguinis nostri sero evenire verosimillimum est, sed hac cum differentia, quod in sero sanguinis, id fiat motu & actione vasorum, quod in albumine ovi, solo gallinæ incubatu fit: quando ergo serum sanguinis, per infinitas vasorum series, tandem venit in vascula minima, vel nervos invisibilem tantum liquorem seu spiritus admittentia, nutritioni inservire potest, & quod per nervos nutritio fiat, patet, quia compresso, ligato discissove nervo quodam majore, omnes partes, quæ ab hoc nervo, per ramos ipsis datos, spiritus suos accipiebant, quoniam tunc iis destituuntur, extenuantur & atrophicæ fiunt: imo si medulla spinalis, supra os sacrum, per infortunium aliquod contunditur, omnes partes infra contusionem positæ, quæ a medulla spinali suos nervos & spiritus habebant, atrophicæ fiunt & contabescunt, etsi arteriæ illæsæ fuerint & suos humores adhuc adferant; Porro hoc patet in senibus,

in

in quibus; quando ſpiritus animales incipiunt deficere, atrophia oritur: hinc quando in ſenibus ſenſus minuuntur & hebeſcunt, nutritio, quoque in iis minuitur & atrophici fiunt. Quod per arterias nutritio fiat, patet ex eodem quod de nervis memoravimus experimento, ſcilicet ſi arteriæ majores, a quibus rami diſtribuuntur ad partes vicinas, compreſſæ, obſtructæ, ligatæ vel abſciſſæ ſunt, licet nervi manſerint intacti, omnes partes quæ ab his arteriis ſolis, humores ſuos habebant, quia tunc iis deſtituuntur, atrophicæ fiunt & penitus exareſcunt: patet ergo, quod nutritio fiat non per ſolos nervos, nec per ſolas arterias, ſed per nervos & arterias ſimul. 3°. Requiruntur ad nutritionem bona alimenta, ex quibus in corpore noſtro, per organorum præparantium, viſcerum, vaſorum humorumque modo explicatas vires integras, talis materies, quæ ad nutritionem apta ſit, elici poteſt.

§. 6 Quoniam ſubtiliſſima illa materia nutriens, ad ſui elaborationem requirit coctionem perfectiſſimam & quoniam hæc coctio exigit, tot organorum, viſcerum vaſorumque actiones integras, tot bonorum humorum aſſimilantium in corpore noſtro præſentiam, ſatis ſuperque patet, quam facile oriri poſſit hic defectus, ut etſi bona alimenta aſſumantur, tamen non: nutriant: ſi enim functiones viſcerum χυλοποίησι & αἱματοποίησι inſervientium læſæ ſunt, ſi humores aſſimilantes deficiunt, ſi actiones vaſorum nimis debiles ſunt, ſuccus nutritius neutiquam elaborari poteſt; ſed corpus atrophicum fit & conſumitur. En itaque, quantæ neceſſitatis, ad vitam conſervandam, ſit actionum naturalium integritas: his enim læſis deſtructisve, æque parum ſuccus nutritius in corpore humano elaborari poteſt, ac ſi V. G. cadaveri in aqua mortuo, in quo nil omnino mutatum eſt, ope inſtrumenti, per os injiceres panem & aquam, non enim fieret ex iis bonus chylus, ſanguis & ſerum, ex quo ſuccus nutritius ſecernitur, ut in vivis, quamvis omnes partes hiſce actionibus inſervientes, immutatæ in hoc cadavere adhuc habeantur, ſed quia ſolummodo, actiones harum par-

partium, per mortem desiere. Patet ergo, quantum moliminis natura, ad sui conservationem impendere debeat, si modo attendamus, ad mirabilem, ab Adorando nostro Creatore, fabrefactam corporis humani fabricam, ex tot organicis partibus & humoribus, iisque omnibus functionibus suis, ad corporis conservationem conspirantibus, tam artificiosè compositam: in quantam rapi debemus admirationem!

CAPUT SECUNDUM.

De Causis.

§. 1.

Data breviter ætymologia vocis, definitione & nutritionis historia: jam causæ horum morborum, & quidem primo atrophiæ universalis, indagandæ erunt, quas infinitas posse esse, unusquisque ex iis, quæ in præcedenti capite, ad nutritionem perfectam, in cujus defectu atrophia nostra consistit, requiri diximus, facile intelligit. Omnes tamen hæ causæ referri possunt, vel ad eas, quæ alimentorum assumtionem, manducationem & deglutitionem lædunt; vel ad eas quæ χυλοποίησιν seu mutationem alimentorum in chylum, illiusque chyli transitum ad cor lædunt; vel ad eas, quæ αἱματοποίησιν seu sanguificationem, & succi nutritii ex sanguine, utpote omnium reliquorum humorum fonte, secretionem, illiusque succi ad debita loca applicationem lædunt, impediuntque: vel ultimo ad eas, quæ hunc succum nimis consumunt. Quoniam itaque atrophiæ universalis causæ innumeræ sunt, neutiquam omnes, sed tantum præcipuas recensere conabor, & quidem missis iis, quæ alimentorum assumtionem, manducationem & deglutitionem penitus impediunt, quia, quamvis quamdiu durent, corpori alimenta denegando nutritio-

nem impediant, rariſſime tamen, tam diu durant, ut veram atrophiam producant, ſed citius vel in ſanitatem, vel in mortem terminantur, ſtatim tranſiturus ad cauſas χυλοποίησιν lædentes.

§. 2. Læditur χυλοποίησις variis cauſis, inter quas (α) refero; *nimiam debilitatem rigiditatemque nimiam ventriculi:* ſi enim ventriculus tam debilis eſt, ut non ſufficiat bonæ ingeſtorum concoctioni, chylus bonus fieri nequit, ſed ingeſta illa patiuntur ſpontaneas mutationes, quas ſibi ſoli commiſſa & in tanto calore ac eſt corporis humani poſita, paſſa fuiſſent & aceſcentia in acidam, alcaleſcentia in alcalinam, glutineſcentia in glutinoſam mutantur indolem, ad præbendam corpori materiam nutritiam, penitus ineptam; imo in ventriculo cardialgias varias, in inteſtinis roſiones, vellicationes, dolores, tormina flatuſque excitantem, quam vaſa lactea neutiquam admittunt; nam Adorandus & ſapientiſſimus hujus univerſi Opifex, poſuit hic fidelem cuſtodem, non admittentem ullum peregrinum corpori noſtro nociturum hoſpitem, nempe acutiſſimum illum ſenſum, quo ſe ſtatim ad hoſpitis illius acceſſum contrahunt, ut nil intrare poſſit: ſi vero in glutinoſam maſſam mutantur ingeſta, etſi omnis acrimoniæ expers fuerit, tamen ob glutinoſitatem lentoremque ſuum, quoque vaſa lactea intrare poterit nequaquam, ſed potius oſcula eorum claudet: at ut ut hæc vera ſint, accidit tamen aliquando, ut tractu temporis, & ſenſim aliquid, de tali modo mutatis ingeſtis in vaſa lactea & ipſam ſanguinis maſſam, perveniat eamque corrumpat, vel nimis ſolvendo, ſi acrimonia illa fuerit alcalina, vel nimis coagulando, ſi fuerit acrimonia acida, vel nimium lentorem & viſcoſitatem in ea excitando, ſi glutinoſa illa maſſa ei admiſcetur, ſicque eam ad nutriendum ineptam reddit. Hæc & ſimilia mala, oriri quoque poſſunt, *a ventriculo nimis rigido*, & ut aliquando accidit in calloſam, imo cartilaginoſam duritiem degenerato; tunc enim ingeſta vel nimis cito & nondum ſatis digeſta expellit, vel debita contractilitate fibrarum ſuarum carens, legitimè in ea agere & mune-

re-

re ſuo fungi nequit; requiritur enim ad bonam chylificationem, juſta fibrarum ventriculi elaſticitas, ut diſtendi quidem, ſed & iterum ſe contrahere poſſint, hacque ſua actione ora ventriculi claudere, contenta diſtendentia premere, miſcere, motu vermiculari atterere, attenuare & tandem in cineritiam materiam mutata, per pylorum in inteſtinum duodemum expellere valeant: quæ omnia, ſi dicta ventriculi vitia adſunt, fieri nequeunt.

§. 3. (β) Huc refero, *nimiam debilitatem rigiditatemque inteſtinorum:* hæc vitia, ſi adſunt, chylus ad inteſtina delatus, neque rite dilui & cum humoribus eo quoque delatis permiſceri, neque in vaſa lactea legitime propelli poteſt: omnia enim hæc dependent a vi periſtaltica ſeu contractili inteſtinorum, qua non tantum fit intima chyli dilutio & cum omnibus huc affluentibus humoribus permiſtio, ſed & vaſa lactea, hujus vermicularis motus ope aperiuntur, chylique propulſio in ea promovetur, adeo ut, ſi propter nimiam debilitatem, motus hic periſtalticus nimis parvus, vel penitus abolitus ſit, ut in paralyſi inteſtinorum fit, λειεντερία, qua alimenta vix in chylum mutata, ſtatim vi reſpirationis, ſi hæc interim ſatis fortis ſit, per alvum ejiciuntur, oriri debeat: ſed ut nimia hac laxitate & debilitate, ſic & nimia rigiditate inteſtinorum, qua motus ipſorum fibrarum quoqne abolitus eſt, vel ſaltem inſigniter imminutus, chyli ulterior elaboratio & in vaſa lactea propulſio juſtè peragi nequit. Maximè quoque harum partium actiones læduntur a contractione earum ab inedia diuturna facta, qualem & ut vocat prodigioſam contractionem, in ventriculo & inteſtinis obſervavit Celeb. F. RUYSCHIUS (b).

§. 4. (γ) *Defectum ſalivæ:* liquoris illius a quibuſdam pro univerſali menſtruo habiti: nonne quoſdam fugitivæ mentis adeptos, in tantam ſui admirationem rapuit, ut ſolvens catholicum mineralibus quoque inde promiſerint? & certè humor hicce, quatenus eſt dilutus, aqua, ſpiritibus ſatis copioſis, oleo

(b) Obſervat. 68.

oleo & sale pauco in saponem simul coactis constans, diluente & saponacea sua vi plurimum ad ciborum digestionem & bonam χυλοποίησιν confert, imo tantum, ut primam coctionem non tantum inchoet, sed ferè absolvat: cibos enim diluit, saponacea sua vi solvit, eosque, imprimis accedente motu manducationis, quo copiosius ad hos usus exprimitur, intime miscet & attenuat, imo sola hac manducatione & salivæ admistione cibi, etiamsi solidiores, mutari possunt in verum quasi chylum & quidem tam tenuem, ut subtilissima ejus pars, a vasis absorbentibus, in omnibus partibus, per quas transit, osculis suis bibulis patentibus absorberi & ad massam sanguineam deferri possit. Sed ut hisce, sic & præterea multis aliis usibus inservit saliva: nempe salia ciborum solvendo, particulas sapidas extricat, sicque gustui inservit: porro os, fauces & œsophagum humectando & lubricando, manducationem & deglutitionem facilitat; deglutitio enim faucibus siccis neutiquam fieri potest, ut quilibet forsan in semet ipso aliquando expertus est, quando, postquam ardente Syrio, in arena sicca aliquamdiu ambulaverat, ore & faucibus siccis, panem vel alium siccum cibum deglutire voluerit: idem in morbis calidis, ut febribus ardentibus, ægri plerumque experiuntur: in ventriculum vero depluens saliva, ibi ad ciborum eo delatorum, macerationem & fermentationem, non quidem perfectam, quia cibi non tam diu in ventriculo manent, ut hæc absolui possit, sed inchoatam facit, qua fit, ut cibi optime dividantur, particulæ eorum se expandant & ad faciliorem concoctionem disponantur. Ex his itaque patet, quantum Saliva contribuat ad digerendos cibos & fallantur illi, qui dicunt, eam esse excrementum cerebri, ad glandulas Salivales delatum & per harum ductus in os, ut extra corpus excerni queat; cum tamen in dictos & maxime ad vitam sanam necessarios usus, a sanguine purissimo arterioso, imo eodem, ex quo in cerebro secernuntur spiritus, secreta sit, ejusdem enim sanguinis portio, antequam cerebrum, petat per ramos laterales, datur hisce glandulis: neutiquam ergo dici potest excrementum cerebri, imo ne quidem

dem in cerebro fuit, & tantum abest, quod sit excrementum, ut potius dicere debeamus, quod sit humor maxime ad vitam sanam necessarius, spiritibus ipsis dives, ejusque necessitas ad χυλοποίησιν patet porro ex eo, quod etsi per pravam forsan consuetudinem, multum salivæ sputi nomine rejiciamus, plus tamen ejus, vel alimentis commixtum, vel sine his, ad ventriculum ne quidem nobis de hoc cogitantibus, ut V. G. tempore somni demittatur: imo omnis saliva, in brutis utpote nil plane sputando excernentibus, per gulam deglutiri videtur; si vero esset excrementum, hoc non fieret; nam noxia tunc esset corpori & ventriculus modo inde oneraretur, sic & in ipsis animalibus pennatis, granivoris, ut anseribus, gallinis &c. videmus, quod præter salivam os humectantem, magna copia liquidi salivæ æmuli, ad ingluviem, ut ingestorum macerationi inserviat, deferatur. Ex hacce salivæ necessitate patet etiam, quam male agant illi, qui nimis eam exspuunt, nam ἀτροφίαν corpori inducunt, ut videmus in iis, qui masticatoriis, vel nimio nicotianæ seu tabaci usui, sive manducando, sive fumum ejus sugendo indulgentes, magnam salivæ copiam continuo ex ore eliciunt: hi enim, quia nimia hæcce salivæ excretio turbat coctionem primam, adeoque omnes sequentes, & liquidissimum de sanguine auferendo reliquum inspissat, sitim & siccitatem producit, totamque humorum massam, ad nutriendum ineptam reddit, penitus macilescunt, exsiccantur & atrophici fiunt. Nunquam itaque salivæ excretio bona est, nisi forte corpus aquosis humoribus abundet & hydropicum sit: sed objiceret aliquis, quod in curatione luis venereæ, ptyalismus seu salivatio, sit summum remedium; hoc verum quidem est, sed sciendum simul, quod hicce ptyalismus ope mercurii excitatus, non salivam veram, sed putrefactum quasi sanguinem, sub forma salivæ educat. Vidimus ergo ex dictis, quod salivæ defectus χυλοποίησιν lædendo & corpus nimis exsiccando, atrophiam producere valeat universalem; age videamus jam paucis, quomodo hujus defectus fieri possit; potest fieri, vel si quæcunque de causa nimis excernitur extra corpus; vel si

glandulæ salivales obstructæ, tumefactæ, scirrhosæ, cancrosæ, vel a lue venerea ulceribusque malignis exesæ & ad usum suum penitus ineptæ redditæ sunt; vel si emissaria ductusque earum, materia quadam lenta crassa, viscosa, pituitosa, gypsea, imo ipsis lapillis, obstructi sunt: vel si ductus illi, Stenoniani dicti, naturaliter salivam emittentes intra os, vulnere transcissi sunt, ut omnis saliva, per genas extra os, nilque intra illud, effundatur: tunc enim, per totam vitam ibi manet fistula, quia ob continuum illum salivæ affluxum, vulnus claudi nequit. Ultimo salivæ defectus oriri potest, a sanguine nimis crasso & sicco, quam ut dilutum huncce humorem præbere possit.

§. 5. (δ) *Defectum muci tenuis oris*, ut & (ε) *liquoris duplicis œsophagi:* hi enim, ut variis aliis egregiis & maximè necessariis usibus, sic & ipsi χυλοποίησι inserviunt, quare etiam horum defectum, ad hanc lædentes causas referendum putavi, mucus ille secernitur, a glandulis palati anterioris maxime posterioris penduli, uvulæ, tonsillarumque: liquorum vero œsophagi alter, ab arteria œsophagea paratur, ramulisque ipsius minimis in œsophagi cavum patentibus emittitur: alter vero, operosiori modo a tunica œsophagi glandulosa paratur & per emissaria in cavum œsophagi expromitur, estque liquor saliva paulo pinguior & lentior. Omnes hi iisdem, quibus saliva, inserviunt usibus, os, fauces & œsophagum obliniunt, & ne ab acribus transeuntibus irritentur, vellicentur, excorientur & sic lædantur, munimenti loco inserviunt, eodem modo, ut videmus in omnibus teneris corporis nostri partibus, aëris injuriis magnove attritui expositis, adeoque facile lædendis vel exsiccandis, quod muco, vel simili quodam obliniente humore, defendantur: Nonne ideo membrana mucosa, Schneyderiana dicta, omnibus talibus partibus superexpansa est, ut præbeat partes illas oblinientem & ab omni nocituro hospite defendentem mucum? imo deficiente hocce muco tenuioris & liquore œsophagi duplici, lubricam faciente ciborum viam, manducatio & deglutitio insigniter læduntur: si enim os & fauces penitus
siccæ

ſiccæ ſunt, ſi œſophagus, liquore ſuo inungente privatus eſt, cibi ſicci & ſolidi inter manducandum & deglutiendum ipſis partibus adhæreſcunt & nec manducari, nec deglutiri & per œſophagum ad ventriculum deferri poſſunt. Sed ut horum liquorum defectus, haſce dictas functiones, ſic & ipſam χυλοποίησιν, cujus gratia præcipue, hunc defectum huc retulimus, quoque lædit: notum enim eſt, quod liquores hi, æque ac ſaliva, alimentis, in ore totoque tractu ad ventriculum miſti, inque eum delati, una cum reliquis, ibi concurrentibus humoribus, ad digeſtionis opus ſuum quoque contribuant, & cum bona χυλοποίησις, omnes illos humores præſentes & rite ſe habentes requirat, patet, quod deficientibus his, neceſſario lædi debeat. Deficiunt hi liquores in catarrho, coryza, imo obſtructionibus quacunque de cauſa natis, glandularum & vaſorum mucum liquoreſque hos ſecernentium: in nimiis alvi fluxibus vomitibuſque, nimis frequentibus exſpuitionibus ex ore; imo in variis morbis, tam acutis quam chronicis.

§. 6. (ζ) *Defectum liquoris ventriculi gaſtrici* Medicis dicti: qui ſecundum Excellentiſſimum Virum HERMANNUM BOERHAAVE Præceptorem meum nunquam ſatis venerandum (c) *eſt liquor tenuis, pellucidus, ſpiritibus dives, ſpumoſus leniter ſalſus*; ab arteriis geſtricis & epigaſtricis, innumeros ramos rete quaſi formantes, per totum ventriculi, corpus diſpergentibus, ut Venerandus Senex F. RUYSCHIUS (d) docuit, ſecretus: imo ingenti copia, ex minimis arteriolarum gaſtricarum fiſtulis, in cavum ventriculi patentibus continuo effluit, & quidem partim propter multitudinem vaſculorum ſecernentium; partim propter breve illud iter, quod ſanguis, ex quo ſecernitur, percurrit: dictæ enim arteriæ gaſtricæ & epigaſtricæ ex cœliaca, cordi valde propinqua arteria, ex ipſa arteria aorta ſuum originem ducente, oriundæ, accipiunt ſanguinem, qui nondum de partibus ſuis ſubtiliſſimis, in brevi hoc, quod eſt inter cor & ventriculum itinere, multum amiſit, ſed ad hunc liquorem ſecernendum opti-

(c) Inſtit. med. §. 77. (d) Theſ. 2. aſſ. 3. No. 14. Theſ. 6. No. 33-106.

optime idoneum. Accedit & huic liquori humor lentior, mucosus, glandulis secretus, qui continuo à tunica ventriculi musculari exprimitur: porro plurimi nervi finibus suis in cavum ventriculi desinentes, liquidum suum nervosum, ibi quoque effundunt. Omnes hi liquores, in necessarios valde usus hic concurrunt, scilicet: ad cibos eo delatos macerandos, solvendos, miscendos, diluendos, fermentationemque inchoatam iis conciliandam. Hisce horum liquorum actionibus accedente actione ventriculi, alimenta ingesta, etsi fuerint crassiora, ita attenuantur & diluuntur, ut subtilissima eorum pars, jam per vasa absorbentia, osculis suis in ventriculi interiori superficie patentia, absorberi & ad cor ferri possit: deficientibus vero liquioribus his, ut nimia eorum rejectione, vel per inferiora vel per superiora fieri potest, vel a singulari quadam ad has partes nata dispositione, qua minus hi liquores secerni possint, ut obstructione, scirrhositate, callositate ventriculi; vel & a nimia ipsius sanguinis, horum humorum fontis, crassitie & spissitudine, quam ut secerni ex eo possint, turbatur χυλοποίησις, seu coctio prima, & tunc necessario quoque sequentes.

§. 7. (η) *Defectum bilis utriusque:* cysticæ scilicet & hepaticæ, quæ summum χυλοποιήσιος opus absolvunt: Utraque secernitur quidem ab hepate, a sanguine per venam portarum eo delato; sed dotibus valde inter se differunt: nam cystica est humor crassus, & intensè flavus: hepatica vero, est lymphæ instar tenuis & colorem nullum nisi pellucidum habens; porro cystica est totius corporis humor amarissimus; hepatica vero dulcissimus, ut ex ipsius hepatis, in cujus omni puncto secernitur, dulcedine patet; si enim gustatur piscis alicujus hepar recens, quam dulce est! imo tantum a bile cystica differt hæc hepatica, ut potius lympha hepatica, ac bilis vocari deberet. Uterque hic humor per ductum communem, choledochum dictum, a ductu cystico & poro biliario unitis factum, mittitur in intestinum duodenum, ubi multis egregiis inservit usibus: nam quatenus saponaceus est, chylum in intestinum duodenum delatum solvit, intimè miscet,

ſcet, olea ipſa aquæ miſcibilia reddit, gummoſa, reſinoſa tenacia reſolvit, attenuat, ſicque chylum diſponit, ut omni tenacitate, alias id impeditura ablatâ, facile vaſa lactea inintrare poſſit; imo hacce ſaponacea ſua vi, optime inteſtina abſterget, ne tenaci quadam materia occludantur vaſa lactea, & chylum non admittant, ut ſit in iis, quibus bilis deficit, vel iners eſt; ſic infantibus quibus hoc aliquando accidit, omnia tenacia aſſumta inteſtinis adhæreſcunt, ibi colliguntur, abdomem tumere & reliquum corpus, quoniam nil vaſa lactea intrare poteſt, emacreſcere faciunt. Ex hiſce paucis de effectu bilis recenſitis, ſatis ſuperque patet, quanta ſit hujus in corpore humano utilitas atque neceſſitas & quod deficiente, vel depravata hac, tota χυλοποίησις lædatur & hinc neceſſario atrophia oriri debeat. Deficit bilis vel quando nimis ſurſum, deorſumve extra corpus excernitur ut in cholera; vel quando propter obſtructum, inflammatum, putrefactum aut ſcirrhoſum redditum hepar, non amplius ſecernitur, porro læditur bilis ſecretio quando obſtructus, inflammâtus, vel ſcirrhoſus factus eſt ſplen, in quo debet fieri ulterior elaboratio ſanguinis, ad hepar, ut ſectetioni bilis inſerviat, deferendi, ſi vero dictis vitiis laborat ſplen, hæc elaboratio fieri nequit: læditur quoque bilis ſecretio, ſi hepar lapillis, quorum hic frequens generatio eſt, obſidetur vaſaque ejus comprimuntur. Tandem deficit bilis, quando quidem adhuc ſecernitur, ſed in inteſtinum duodenum ferri nequit, ut ſit, vel quando ductus cyſticus vel choledochus materia quadam lenta, viſcida, tenaci, gypſea, vel calculis obſtructus eſt, quod ſæpe accidit, imo tota veſica fellis aliquando calculis intus incruſtatur, talia exempla refert Celeb. F. RUYSCHIUS (e), & memini me audiviſſe Celeberr. B. S. ALBINUM Præceptorem atque Promotorem meum omni honore proſequendum, in doctiſſimo ſuo collegio Anatomico narrantem, ſe vidiſſe ingentem calculum, per alvum ejectum; de quo dubitari nequit, quin ex ductu choledo-

(e) Obſerv. 31. & 87.

ledocho sensim dilatato, venerit in intestiuum duodenum, (ex quo tunc per alvum facile excerni potuit,) quia icterus præcesserat: vel clauditur hæc bilis via, contractione spasmodica intestini duodeni, in cujus cavum obliquè hic ductus exit, hinc quando hoc intestinum contractum est, ductus choledochus per aliquod spatium sub exteriori intestini tunica decurrens, antequam in ejus cavum aperiatur, penitus comprimi debet, ut nil bilis effundere possit. Ultimo bilis via in intestinum duodenum impeditur, quando ductus cysticus, vel porus biliarius, seu choledochus vulnere quodam transcissus est.

§. 8. (η) *Defectum lymphæ paucreaticæ*: hæc cum sit liquor dilutus, pellucidus, insipidus ferè, salivæ simillimus a glandula magna, pancreate dicta e puro arterioso sanguine secretus, qui in intestinum duodenum, per ductum Wirsungianum, eo loci ubi bilis in idem intestinum influit delatus, chylum ex ventriculo in duodenum immissum diluit, bilis eidem chylo admistæ acrimoniam temperat, sicque chylum ulterius assimilando, diluendo, acrimoniam qua vasa lactea, acutissimo sensu prædita, se constringerent nilque admitterent nocituram temperando, disponit, ut a vasis lacteis absorberi, sicque ad cor ferri; imo subtilissima ejus pars, per ipsas venas absorbentes meseraicas, statim sanguini admisceri possit: deficiente vero hac lympha, ut fit, vel si nimis per inferiora aut superiora excernitur extra corpus; vel quando ductus pancreaticus, Wirsungianus dictus, quacunque de causa est obstructus, abscissus, vel spasmodica intestini duodeni contractione clausus: vel quando totum pancreas obstructum, scirrhosum, cancrosumve factum, usu suo caret, hæcce chyli ulterior assimilatio, dilutio & temperatio fieri nequit, sicque hujus lymphæ defectum χυλοποίησιν lædendo & corpori bonum chylum denegando, universalis nostræ atrophiæ, causam esse posse, satis manifestum est.

§. 9. (ι) *Defectum humoris enterici, seu intestinalis*: lymphatici scilicet & Peyeriani glutinosi, quorum prior magna copia ex ultimis arteriarum finibus osculis apertis in intestino-

rum

rum cavum ſecernitur, & una cum omnibus reliquis antea memoratis humoribus huc quoque affuſis, chylum in inteſtinis ulterius aſſimilat, diluit & adhuc ſubtiliorem reddit, ut eo melius partim a vaſis lacteis ad cor, partim a venis meſeraicis abſorbentibus ad hepar, ubi materiam ſecernendæ bili præbet, abſorberi & deferri poſſit. Poſterior vero, ope glandularum Peyerianarum, ab arteriolis a tunica inteſtinorum vaſculoſa oriundis, in cavum inteſtinorum ſecernitur, & quidem præcipue, ad obliniendas haſce tam ſenſiles partes, ne a leviſſima cauſa irritentur, nec quicquam illis adhæreſcere queat: deficientibus ergo his humoribus, ut in nimiis alvi evacuationibus, ipſoque vomitu diuturno fieri poteſt, χυλοποίησις rite abſolvi nequit, a minimo acris acceſſu irritationes, eroſiones & tormina fiunt in inteſtinis; imo ipſa vaſa lactea, ab adhæreſcentibus tenacibus partibus occluduntur; adeo ut ſatis pateat, quam facile ab horum humorum defectu morbus noſter oriri poſſit.

§. 10. (κ) Omnes hi memorati humores, ut defectu & nimis parva quantitate, ſic & qualitate ſeu depravatione peccare & χυλοποίησιν lædere poſſunt. Depravati obſervantur hi humores, quando adeſt in corpore quædam cacochymia, ſic ſi biliosa cacochymia adfuerit, humores erunt amari; ſaliva enim ictericorum, inſignem præbet amaritiem. Si acris alcalina ſcorbutica cacochymia fuerit, valde acres & ſalſi obſervantur hi humores; ſi vero acris acida fuerit cacochymia illa ſcorbutica, humores illi quoque acidi erunt, ſic ſuccus pancreaticus aliquando acidus inventus eſt, & ſaliva aciditatem ſpirans. Porro depravantur humores, a diuturna abſtinentia a cibo & potu, hac enim valde acres fiunt, omnes hi non tantum, ſed & reliqui corporis noſtri humores, ut ſanguis, ſerum &c. maxime tamen bilis, quæ, utpote acerrimus corporis noſtri liquor, quanto plus acrimoniæ, naturaliter habebat, ac reliqui corporis noſtri humores, tanto plus & in hoc ſtatu acrimoniæ concipit; imo urentem aliquando contrahit acrimoniam. Tandem depravantur hi humores in iis, in quibus nimia gluti-

nositas sanguinis peccat; in his enim, omnes humores sunt nimis lenti & tenaces, sic saliva, quam lenta aliquando in his ægris observatur! & non mirum: nam si sanguis, omnium reliquorum humorum fons, nimis glutinosus & lentus est, omnia reliqua inde derivanda liquida, necessario quoque talia oriri debent, ut in cachecticis, leuco phlegmaticis, pituitosis, frigidisque hominibus videmus; bilis quoque his ægris enervatur & penitus iners fit, maxime si simul adfuerit prædominium acidi, hinc in infantibus & debilibus imprimis iis, qui multis acescentibus, vel glutinosis utuntur: hoc plerumque observatur. Sive jam dicti hi humores deficiant; sive quocunque modo vitiati sint, egregiis eorum antea memoratis usibus, destituitur corpus, & χυλοποίησις, sine qua rite peracta, nutritio bona fieri nequit, læditur, unde tunc, quia corpus nostrum quando non amplius nutritur cito consumitur & perit, atrophia nostra universalis necessario oriri debet.

§. 19. Quoniam itaque ordo nos jam perduxit, ad indagandas causas, quæ chyli transitum ad cor lædunt, vel penitus impediunt, inter eas refero (α) *obstructionem vasorum lacteorum*; per hæc enim alba, crassior & pinguior chyli pars, ut ad cor ferri possit, absorberi debet.

§. 12. (β) *Obstructionem venarum mesentericarum absorbentium*; per illas enim venas in intestinorum cavum, osculis suis bibulis patentes subtilissima, & magis aquosa chyli pars, ferri debet ad hepar. Hæ obstructiones vasorum lacteorum & venarum absorbentium mesaricarum, aliquoties fieri observantur, & quidem vel a sensim ingressa materia quadam lenta, crassa, viscosa glutinosaque obstruente, vel a materia glutinosa & tenaci, interiori intestinorum tunicæ adhærescente, sicque oscula dictorum vasorum occludente, quod deficiente muco obliniente & intestinorum siccitate fieri potest, æque ac therebinthina, vel pix manibus siccis tractata, iis adhærescit, madidis vero manibus tractata non adhærescit: vel & hæ obstructiones oriri possunt, a frigore suscepto constringente & occludente hæc vasa, ut nil admittant. Obstru-

ſtructis vel occluſis dictis vaſis, nullus chylus ad cor ferri & corpus nil de alimentis aſſumtis accipere poteſt, niſi exiguam illam quantitatem, ſubtiliſſimarum eorum partium, quæ per venas bibulas ſeu abſorbentes, in ore, faucibus, œſophago, ventriculoque abſorbetur & ad maſſam ſanguineam deducitur: reliquum vero, in chylum mutatum, in inteſtina demiſſum, humoribus affluentibus dilutum, omne per alvum exit, & ingens oritur diarrhæa; nam, non tantum exit chylus ex alimento aſſumto confectus, ſed & ingens illa copia humorum huc affluentium, ſyſtema enim arterioſum meſentericum adhuc apertum, magnam copiam liquoris per fiſtulas illas arterioſas in inteſtinorum cavum patentes continuo effundit, dum interim nil reſorbetur. Sic & ſuccus pancreaticus & reliqui antea memorati, omnes ad inteſtina defluentes humores, eandem viam per alvum ſequi debent, adeo ut non tantum nil novi chyli; ſed &, nec quicquam horum liquorum, ſanguini readmiſceri poſſit, & ſanguis dum interim adhuc ſuum circuitum obit, continuo ſpiſſior & acrior fieri debeat, quod videmus in hominibus diu jejunantibus; hi enim rubent, calent, febricitant, halitumque fœtidum habent; quæ ſymptomata ſolummodo oriuntur a ſanguine, reliquiſque humoribus acrioribus redditis, & quidem in acrimoniam alcalinam putridam, ut fœtidus ille halitus docet, tendentibus. Ex hiſce dictis unuſquiſque facile intelligit, quod in hoc rerum ſtatu, nutritio neceſſario deficere & atrophia noſtra oriri debeat.

§. 13. (γ) *Obſtructionem glandularum meſenterii*: in hiſce enim glandulis naturaliter conſtitutis chylus diluitur, lympha, multorum abdominalium viſcerum, huc delata; liquore ſubtiliſſimo, ab arteriis per glandulas has cavernoſas ſurſum deorſumque diſtributis ut Celeb. F. RUYSCHIUS (f) injectionibus ſuis artificioſiſſimis demonſtrat, ſecreto; & liquido nervoſo ê nervis quibus hæ glandulæ præditæ ſunt emiſſo: ubi vero hæ glandulæ obſtructæ ſunt, hicce egregius earum uſus perit. Obſtructiones harum glandu-

(f) Theſ. 10. No. 61. & 110.

dularum fiunt aliquando a chylo in iis coagulato ut invenit DIEMERBROEKIUS (g) & quidem frequentiſſime accidit hoc, infantibus & pueris debilibus, a cauſa acida in primis viis genita & ad has glandulas delata: imo poſſunt fieri, a quacunque alia materia lenta, craſſa, pituitoſa, terreſtri, glutinoſaque, quibus ſæpe adeo infarciuntur hæ glandulæ, ut penitus ſcirrhoſæ fiant, cujus rei exemplum refert F. HILDANUS (h): imo non tantum ſcirrhoſum, ſed penitus lapidoſum, inventum aliquando fuiſſe totum meſenterium, teſtantur varii obſervatores practici & inter eos Th. BONETUS in ſepulcreto ſuo anatomico (i).

§. 14. (ε) *Obſtructionem, compreſſionem, diſciſſionemve alvei chyli, vel ductus thoracici:* quæ ſi accidunt, omnis chyli & lymphæ ab inferioribus corporis partibus & thorace venientis, aditus ad cor impeditur, niſi pro parte tantum & non penitus compreſſus fuerit hic ductus; tunc enim quamvis non ſufficienti copia, tamen adhuc aliquid tranſire poteſt, ſic in lordoſi ſeu curvatura ſpinæ dorſi, in anteriora, ductus thoracicus, Pecquetianus dictus, quodammodo comprimi poſſe videtur, & quidem plus minuſve, prout malum increſcit & curvatura in anteriora major fit; hinc homines hoc malo laborantes, plerumque paulo macilentiores eſſe videntur: ſufficiens enim chyli quantitas tunc ad cor ferri nequit. Si vero penitus abſciſſus fuerit hic ductus, vita tam diu manere nequit donec vera atrophia totius corporis oriatur, ſed brevi ipſa mors ſubſequitur: omnis enim chylus & lympha eo delata; ſi abſciſſio facta fuerit ſupra diaphragma, ruit in cavum thoracis, illud implet, pulmones penitus comprimit, ſicque ægrum ſuffocat: ſi vero abſciſſio facta fuerit infra diaphragma, omnis chylus & lympha huc veniens, ruit in cavum abdominis, illud implet, viſcera abdominalia comprimit, diaphragma ſurſum premit in cavum pectoris, illud adeo minuit, ut pulmones non habeant ſpatium ſufficiens ſe expandendi & ſic quoque ægrum brevi ſuffocat.

§. 15.

(g) Lib. 1. Cap. 9. (h) Centur. 1. obſerv. 70. (i) Lib. 2. Sect. 7. obſerv. 136.

§. 15. (ζ) *Obstructionem vasorum lymphaticorum, lympham suam ad chyli ulteriorem assimilationem & dilutionem adferentium:* docuit enim Cl. NUK (k) quod omnia vasa lymphatica sub diaphragmate posita, tam viscerum omnium abdominalium, quam reliquarum infra diaphragma positarum partium, lympham suam ferant, vel ad glandulas mesenterii vagas; vel ad ipsam cisternam lumbarem chyli, & novimus quod crassior chyli pars, absorbeatur a vasis lacteis & in glandulis mesenterii vagis, dilui debeat lympha ibi affluente, sed subtilissima chyli pars, utpote hac dilutione non egens a venis meseraicis absorbeatur, ipsique sanguini ad hepar ituro admisceatur: si vero nulla lympha ad has glandulas defertur, hicce crassior chylus ibi dilui nequit; hinc chylus non legitime dispositus & assimilatus, nec sufficienti quantitate ad cor ferri potest, sed potius obstructiones facit, in ipsis glandulis mesenterii vagis & vasis lacteis secundi generis, etiamsi hæc majora sint, ac primi generis, ideoque ab eodem chylo, qui transire potuit per vasa lactea primi generis, obstrui naturaliter non possint; tamen hoc fieri potest quatenus chylus hac dilutione carens, facile in grumos concrescere potest, & quo diutius ibi hæret in calore illo, quia nulla lympha ei admiscetur, eo magis exhalantibus partibus subtilissimis, inspissatur atque infarcitur; sicque hac ratione, chyli transitum ad cor, impedire valet, hæcce vasorum lymphaticorum, chylum tam necessaria dilutione privans obstructio: imo præter hoc, quoque innumera alia mala oriri possunt, ab obstructis his vasis & absentia hujus lymphæ, qua sapientissimus & Beneficentissimus Creator prospexit, ne chylus crudus, sed maximè dilutus & assimilatus in intestinis & mesenterio, a lympha ad glandulas vagas delata, ad pulmones ferretur & sic vita humana periclitaretur, hinc ut hoc præcaveatur, non tantum in binis dictis locis, sed & ulterius in toto itineris tractu diluitur ab affluente lympha, ut in alveo chyli, in ductu thoracico, in quem fertur omnis lympha ab omni quoque thoracis parte: imo ut hæc tam co-

(k) Adenogr. fig. 31--32.

copiosa lympha, inservit diluendo chylo & per solam hanc viam, nempe ductum Pecquetianum, ut veram venam cavam lymphaticam, ad cor redit, sic & omnis lympha a toto capite redeuns, persolas jugulares venas ad cor defertur, & inservit simul diluendo sanguini ab ἐγκεφάλῳ redeunti, a secretione spirituum superstiti, adeo ut insignis hujus lymphæ sit utilitas, maximaque ad vitam sanam necessitas, & deficiente hac vera universalis atrophia oriri possit.

§. 16. (η) *Vermes in intestinis nidulantes:* horum tres sunt species; scilicet: rotundi, lati & ascarides: rotundi seu teretes, valde similes sunt lumbricis terrestribus, a quibus ferè solo colore differunt; sunt animalcula teretia, oblonga, plerumque crassitiei fistulæ tabacariæ, caput est cauda paulo crassius, longitudinis sunt variæ, alii trium, alii quatuor alii quinque vel sex pollicum. Lati vermes, lumbrici lati dicti, sunt complanati & incredibilis longitudinis, ita ut ad centenas ulnas sæpe frustatim exeant; & totum tractum intestinorum, ab ultimis tenuibus scilicet, ad pylorum usque, glomeris instar convoluti occupent; audivi Celeberrimum virum H. OOSTERDYK SCHACHT Præceptorem meum honoratissimum, nunquam satis venerandum, in Doctissimo suo Collegio Practico narrantem, se vidisse una vice ejectum frustum hujus lumbrici lati 32. ulnarum & postea secutum fuisse frustum 19. ulnarum; imo se nosse fœminam, ex Suecia venientem, quæ una vice excreverat frustum hujus lumbrici lati 76 & ultra ulnarum, penitus instar glomeris convolutum, pluresque tales casus, in copiosa sua praxi sibi oblatos, retulit: hi lumbrici talis sunt naturæ, ut quamvis frusta quædam exeant, tamen non moriantur, sed eo magis increscant: inveniuntur enim homines, qui aliquando semel, aliquando bis, aliquando ter, aliquando quater in anno, frusta insignis longitudinis, lumbrici illius lati excernunt: Ascarides vero, sunt exigua animalcula, quæ microscopiis lustrata, pedibus instructa esse, caputque crassius & caudam quandam habere dicuntur, simillimaque esse iis animalculis, quæ in caseis putrescentibus, nidulantur & crescunt: hi vermiculi, circa extrema intestini

recti

erecti hærent ibique titillationem & molestiam inferunt. Omnium memoratorum vermium causa, & origo, sunt ova insectorum in aëre vel terra viventium, cum aëre, cibo potuve corpori ingesta; non possunt enim ulla animalcula nasci, nisi ex ovis sui generis, quamvis vulgo putetur ex sola putrefactione illa oriri posse, sed F. RHEDIUS, non nisi ex ovis, ex sui generis animalculis desumtis, prodire ullum animalculum demonstravit: quando ergo hæc ovula, quocunque modo intra corpus nostrum recepta sunt, vi caloris naturalis foventur, fota excluduntur, crescunt in magnitudinem sibi naturalem, pariunt & augentur: commodum enim nidum iis præbet, pituita intestinalis, hinc in infantibus, pueris & debilibus adultis pituita abundantibus, frequntiores sunt, ac in robustis, quia commodum in iis inveniunt nidum & à motu intestinorum inerti & debili non destruuntur. Hi vermes, imprimis binæ priores species, omnem subtilissimam chyli partem absumunt, adeo ut pars crassior remanens, nec in vasa lactea ingredi, nec per ductum thoracicum sanguini admisceri; imo longe minus per venas absorbentes meseraicas absorberi possit, & hoc modo vermes possunt esse causæ, chyli transitum, ad cor non tantum, sed & ad ipsum hepar impedientes, vel saltem insigniter imminuentes, ut non sufficiens quantitas ad nutritionem veram & amissi damni restitutionem requisita, ad sanguinem feratur & hinc fit, quod plerumque tam famelici sint vermibus laborantes: imo hi vermes, non tantum, chyli partem subtilissimam absumendo, reliquam inspissando, sicque ejus transitum ad cor impediendo, universalem atrophiam sed & plurima alia mala producere possunt; aliquando enim ita rodunt & vellicant intestina, ut choleras, diarrhœas, tenesmos, convulsionesque excitent, ipsa intestina perforent, epilepsiam & mortem producant.

§. 17. Visis breviter causis, chyli viam ad sanguinem, vel penitus, vel pro parte impedientibus, ut propositum ordinem sequamur, progredimur nunc, ad indagandas causas αἱματοποίησιν, seu confectionem sanguinis, ex hocce ipsi af-

fuſo chylo lædentes, inter quas refero, ſequentia partibus ſanguificationi inſervientibus aliquando accidentia vitia, & quidem (α) *nimiam pulmonum, cordis & vaſorum debilitatem*: harum enim partium debito robore, chylus, ſanguini quo multo levior & rarior eſt, admiſtus, compingitur in unum homogeneum liquorem, omnium reliquorum corporis noſtri, humorum fontem, ſanguinem rubrum, qui, quamvis homogeneus ruber appareat, ſola tamen quiete, ſecedit in binas partes, in maſſam rubram concretam & flavam ſeroſam tenuiorem, omnes reliquos tenuiores, tot, quotſunt in corpore humano vaſorum genera, humores, ſolo ſcilicet excepto rubro, continentem, ut experimenta LEEUWENHOEKIANA docent: oculatiſſimus enim hicce rerum ſcrutator, optimis ſuis, quibus gaudebat microſcopiis, detexit, quod unus globulus ſanguinis ruber, ſecedat in ſex globulos ſeroſos flavos, unus ſeroſus flavus, iterum in ſex ſeroſos, ſed non flavos, ad ignem tamen ut ſerum concreſcentes, horum unus, iterum in ſex minores, puta lymphaticos & ſic pergendo ad tam ſubtiles uſque, donec nulla arte, nulliſque adhibitis microſcopiis videri amplius poſſint: quo nunc viſcerum ἁιματοποίησι inſervientium vaſorumque vis eſt major, eo magis compinguntur ad ſe invicem, dicti illi globuli, fitque ſanguis magis compactus, permiſtus & ruber. Hæc vis ἁιματοποιήτικα, videtur primo incipere fieri in corde dextro: quando ſcilicet chylus in cor dextrum delatus, ipſius cordis actione, per columnas ejus carneas cum impetu trajicitur & carminatur, adeo ut chylus dividi & cum ſanguine permiſceri debeat: ſed quamvis hæc ita fiant, fateri tamen debemus, pulmones præcipuum ἁιματοποιήσιος opus abſolvere, ut certa experimenta anatomica probant, quod ſcilicet: quando in vivis apertis animalibus, experimenta inſtituta fuere, ſanguis in corde dextro inventus ſit, adhuc valde chyloſus, dilutus, inæqualis & parum ruber: in ſiniſtro vero corde ſanguis floridus, ruber, coccineus homogeneus, compactus, denſus; evidenti indicio, quod omnis hæc mutatio, in pulmonibus ſanguini illi acciderit, quoniam in toto ſuo iti-

itinere, ex corde dextro ad finiftrum, nullam notabilem, præter pulmonum, per quos tranfiit, actionem paffus eft. Confiftit hæc pulmonum actio in eo, ut ope refpirationis, fanguinem a corde dextro acceptum, per omnes arteriæ pulmonalis, omne vaforum genus conftituentis ramos diftribuant, valde dividant, & in tot diverfos, quot in toto corpore inveniuntur humores, fecernant, & ut in venis, pulmonalibus iterum intime miftus, colore tam florido coccineo, omnibus, fecretioni cuicunque, infervientibus vafis, adaptatus, ad cor finiftrum feratur. En quantæ neceffitatis, ad vitam confervandam, fint pulmones, verum illud, omnium totius corporis noftri vaforum, compendium; imo nulla, in toto corpore invenitur fanguinis gutta, quæ non actionem pulmonum paffa fit: fed ut horum vifcerum, fic & arteriarum fufficiens robur ad bonam αἱματοποίησιν requiritur, quod confiftit, in debita ipfarum fibrarum mufcularium eliafticitate, qua, vi cordis impellentis fanguinem, dilatata fe iterum contrahere & in priftinum ftatum reftituere poffunt; hac fua actione in fanguinem contentum, ne nimis tenuis & folutus fiat, fed juftam denfitatem habeat, agunt comprimuntque eum. Si itaque vafa, quacunque de caufa, ut *ab inopia vel inertia bonorum humorum a motu mufculari torpefcente*, *a fluiditate aquofa aucta*, *a nimia diftractione*, vel fimili alia de caufa, nimis debilia funt; fi cor, ob imminutum influxum liquidi cerebellofi, in fibras ipfius motrices nervofas & arteriofi, in arterias coronarias, languet & in actione fua quacunque de caufa læfum eft; fi pulmones nimis teneri & debiles, vel labe quadam affecti & corrupti funt, αἱματοποίησις lædatur neceffe eft: hinc & in debilibus, atrophicis & phthificis, fanguis eft tenuiffimus, vix rubedinem habens, imo adeo folutus, ut totus quantus per fudores avolet, quemadmodum nocturni illi fudores, quibus hi ægri obnoxii funt, docent.

§. 18. (β) *Nimiam horum vifcerum & vaforum rigiditatem:* requiritur enim in hifce partibus, ad actiones fuas ritè exercendas, certa quædam laxitas & flexilitas, qua folida in flui-

da contenta & viciſſim fluida in ſolida agere poſſint: hac vero ablata & rigiditate nimia peccante, dictæ actiones lædi debent & quod hæ partes, æque ac reliquæ corporis noſtri partes, huic rigiditati obnoxiæ ſint, varii obſervarunt auctores, ſic cordis exſiccati exempla refert TH. BONETUS, in ſepulcreto ſuo Anatomico (l) ut & PLINIUS ſecundus, de atrophia, ſeu exſiccatione cordis, ſucco raphani curanda, mentionem facit (m) imo RIOLANUS (n) aliique plures auctores, exſiccationem cordis aliquando obſervarunt: quando itaque pars exſiccatur & areſcit, ſimul quoque rigeſcit & flexilitatem ſuam amittit, ut in corio, penitus arefacto videmus, adeoque idem hic obtinere concludere licet. Pulmones penitus aridos, imo in verum marasmum exaruiſſe refert HEURNIUS (o) ipſius pulmonis pro parte calloſi redditi, exemplum refert toties allegatus TH. BONETUS, in ſepulcreto Anatomico (p): Sic & memini, me Celeberrimum virum, H. OOSTERDYK SCHACHT, in Collegio ſuo Practico, audiviſſe narrantem, quod in noſocomio Lugduno-Batavo, invenerit in cadavere, membranam pulmones inveſtientem, quæ in ſtatu naturali inſtar ſubtiliſſimi papyri tenuis eſt, ab hydrope pectoris, in craſſitiem digiti minimi incraſſatam, eamque hinc inde in calloſam ſubſtantiam, vix cultro ſcindendam induratam. In ſenibus quoque, ut totum corpus, ſic & hæ partes nimis rigeſcunt, quare etiam plerique ſenes, propter nimiam illam pulmonum rigiditatem, qua dilatationi ſuæ ab aëre irruente reſiſtunt, aſthmatici fiunt. Vaſa corporis noſtri, non tantum rigidiora, ſed & oſſea fieri poſſe, quotidiana experientia docet, & me ipſum, in cadavere vetulæ cujusdam, vaſa in variis corporis locis oſſea reddita, vidiſſe recordor.

§. 19. (γ) Præter dictos, adhuc *varii alii*, harum partium actiones lædentes affectus; ad αἱματοποιήσιος læſæ morbum noſtri cauſas referri poſſunt; nempe: *Scirrhus*, *pulmonum* & ipſo-

(l) Lib. 2. Sect. 7. obſerv. 08. (m) Natural. hiſtor. lib. 19. cap. 5. (n) Cap. 14. de morbis cordis. (o) De morbo pectoris cap. 7. (p) Lib. 2. Sect. 7. obſerv. 11.

ipſorum a materia craſſa, viſcoſa, pituitoſa, tartarea, gypſea calculoſave *infarctus*; (calculos enim ipſos, ex pulmone excretos, viderunt practici aliquoties) ut & eorundem pulmonum, *tota ſua ſuperficie, ad pleuram accretio*; vel & *a latice aquoſo*, totum pectus occupante, ut in hydrope pectoris, *compreſſio*: Sed ut in hiſce affectibus læduntur actiones pulmonum, ſic & ipſius cordis actiones, propter vicinitatem & magnum illud commercium, quod hæc bina viſcera inter ſe habent, iisdem lædi debent: nam, quando pulmones quacunque de cauſa, ſanguinem a corde dextro acceptum, transmittere non poſſunt, cor ſe evacuare non potens, obruitur ſanguine per venam cavam allato, & hoc fiet eo plus, quo minus ſanguinis per pulmones tranſire poterit; ſic & ſi pulmones inflammati ſunt, cor ipſum quoque aliquando inflammatur, quod obſervavit, Divus ille ſenex, HIPPOCRATES, in coacis ſuis prænotionibus (s). Si in hydrope pectoris, ab effuſo latice aquoſo, premuntur & in actione ſua læduntur pulmones, eadem cor quoque patitur; nam idem latex aquoſus, premens pericardium ad cor, actionem ipſius cordis quoque impedit, & ſi humor hic effuſus, diu ſtagnando acris & putridus factus, inflammationes, eroſiones, deſtructiones & gangrænas pulmonum aliarumque vicinarum partium, facit, pericardium & cor quoque easdem, pati debent manes. Sed ut hiſce, ſic & plurimis aliis cauſis, actiones ipſius cordis lædi poſſunt, in quibus recenſendis, finis non eſſet, præcipue tamen & frequenter a polypo in ipſo corde nato, qui polypus, aliquando in alterutro corde tantum, aliquando vero in utroque deprehenditur, ſic F. DEKKERS, in ſuis exercitationibus practicis (t) refert, ſe inveniſſe polypum auriculam cordis ſiniſtram, ac ſiniſtrum cordis thalamum, ut & arteriam aortam implentem, cujus ut & alterius polypi a P. HERMANNO in noſocomio Lugduno-Batavo reperti, eadem loca occupantis figuram exhibet: Utriusque vero cordis, polypo obſeſſi exem-

(s) Sect. 2. pag. 182. (t) Pag. 613-614.

exemplum refert; TH. BARTHOLINUS (u), hic narrat, in cadavere quodam inventum esse polypum, dextram cordis auriculam, ventriculum, arteriamque pulmonalem occupantem, & in eodem cadavere adhuc alium, auriculam cordis finistram, ventriculum finistrum arteriamque aortam occupantem eorundemque figuras quoque addit; hi polypi si adsunt, actiones cordis insigniter læduntur: imo ab officulo, in meditullio cordis nato, actiones ipsius læsas, indeque tabem ortam refert TH. BONETUS in sepulcr. Anat. (v). Ex his paucis allegatis exemplis, satis patet, quot & quam miris causis, dictarum partium actiones & ab iis dependens αἱματοποίησις, lædi possit, qua tamen læsa, corpus non amplius nutritur, sed necessario atrophicum fit.

§. 20. Visis quoque causis αἱματοποίησιν lædentibus, ordine nunc perducimur, ad contemplandas causas, quæ succi nutritii, ex sanguine, utpote omnium reliquorum, corporis nostri humorum scaturigine, secretionem ejusdemque ad debita loca applicationem impediunt: ad quas causas itaque refero, (α) *omnia pulmonum in præcedentibus enarrata vitia*; considerando hic pulmones, non tantum ut sanguinis rubri sed & omnium reliquorum corporis nostri humorum, hinc & ipsius succi nutritii officinam: pulmones enim sanguinem chylosum, a corde dextro acceptum, actione sua, jam antea memorata, ita præparant & disponunt ut per omnia corporis vasa ire, omnesque humores, ex eo secerni possint, hinc omnes corporis partes, si nutrientur, habere debent sanguinem, qui jam per pulmones transivit, sic ipsum cor nutriri nequit, nisi accipiat sanguinem in pulmonibus elaboratum, & quoniam succus nutritius, in pulmonibus præparari debet, merito eorum vitia, hujus succi præparationem impedientia, ad hasce causas refero.

§. 21. *Omnia cordis vitia antea memorata*: nam, etsi sanguis in pulmonibus rite elaboratus, ad cor redeat; tamen si cordis actio expellens sanguinem in aortam, ut sic per totum corpus distribuatur, læsa sit, succus nutritius, etsi in illo san-

(u) Cent. 3. hist. 17. (v) Lib. 2. Sect. 7. observ. 113.

sanguine contineatur, ex eo secerni & applicari non poterit: debet enim, ut hoc fiat, sanguis debita vi appelli, ad omnia minima corporis nostri vascula, cerebrum nervosque, ut subtilissima illa materia nutritia, per minimos illos canaliculos distribui & ad debita loca applicari possit: si vero hæc cordis vis læsa & valde imminuta est, quoniam quo vasa sunt cordi propiora, eo majorem & quo longius a corde distant, eo minorem motum habent, quando in majoribus & cordi vicinis vasis, sensibiliter incipit minui motus, in ultimis & minimis illis, tam magnum spatium a corde distantibus, erit ferè quies: hinc si hoc fit, materiæ nutritiæ secretio & applicatio lædatur necesse est.

§. 21. (γ) *Huc refero omnia illa vasorum, antea quoque recensita vitia*; scilicet: vasorum nimiam laxitatem, seu debilitatem & eorum nimiam rigiditatem, seu robur: quando enim, vasa nostra nimis debilia sunt, functiones eorum antea memoratæ læduntur, sanguinem non justè propellunt & distribuunt, nec secretiones legitimè absolvunt, sed potius a vi cordis impellentis sanguinem, vasa primo majora & primi generis, adeo dilatantur, ut omnia minima vicina comprimant, vasa secundi generis, seu serosa quoque dilatentur, adeo ut admittant ipsum sanguinem rubrum & sic porro in vasis tertii & ulterioris generis similes dilatationes & humorum in aliena vasa aberrationes fient, minima vero vascula, unde nutritia suum humorem habere debent, propter teneritudinem & angustiam dilatari adeo non potentia, ut alienum crassiorem humorem admittant, obstruentur & comprimentur a vicinis dilatis vasis & sic ipsa vasa nutritia, ne quidem humorem accipiunt, hinc quando hicce rerum status obtinet, corpus quidem impletur in vasis suis majoribus, sed interim non nutritur: imo in his ægris quibus vasa adeo debilia sunt, tam segnis est motus humorum, ut crudi maneant & ne quidem propter vasorum debilitatem concoqui, satis queant; si enim arteriæ pulmonali sufficiens robur deficit, & segnis per eam est sanguinis transitus, nonne ipsa hujus succi nutritii concoctio & elaboratio lædi debet? certe, æque

que ac a reliquarum arteriarum debilitate nimia, illius ad debita loca derivatio, ſecretio & applicatio læditur: Sed ut nimia vaſorum debilitas, ſic quoque non minus eorum *nimia rigiditas*, hanc actionem lædit: ſi enim vaſa, nimis rigida ſunt & vim contractilem, nimis magnam habent, tam fortiter agunt, in ſanguinem contentum, ut liquidiſſimam ipſius partem, ſubito expellant, reliquam vero valde condenſent & per vaſa minora immeabilem reddant: imo in polypos concreſcere faciant omnesque ſecretiones turbent: Sanguis enim, liquidiſſima ſua parte orbus, ſecretioni ſubtiliorum humorum, amplius inſervire nequit, quare & nutritio impediri, totiusque corporis atrophia oriri debet.

§. 23. (δ) *Sanguinem quantitate vel qualitate peccantem:* quantitate peccat, vel nimia copia vel inopia; ſi copia peccat, adeſt πληθώρα ſeu *tanta laudabilis ſanguinis in corpore abundantia, ut vel vires cordis, eam movere, vel vaſa eam capere nequeant:* quæ etſi ſecretiones mutet turbetque & vaſa minima comprimendo, debitam nutritionem imminuat: Veram tamen Atrophiam univerſalem non facit, niſi prius omnes humores, circulationem ſuffocando, corrumpat, ſolida labefactet & ſic καχεξίαν, quæ in atrophiam ſæpe deſinit, producat. Inopia vero ſanguinis eſt, *tam parvæ laudabilis ſanguinis quantitatis in corpore præſentia, ut functiones lædat.* Hæc inopia quacunque de cauſa orta, ſi adſit, ſuccum nutritium non ſufficienter elaborari, ſecerni & applicari adeoque corpus non juſte nutriri poſſe, ſed atrophicum fieri debere, nimis manifeſtum eſt. Sed ut ſanguis quantitate peccans, hoc damnum corpori noſtro adfert, ſic non minus id facit, *qualitate* peccans; peccat qualitate, quando ſana & laudabilis ejus indoles, mutatur in morboſam & tunc κακοχυμία adeſt, & quidem varia, pro varietate materiæ peccantis, ſcilicet: aquoſa, pituitoſa, bilioſa, atrabiliaria, purulenta, ſcorbutica, venerea &c. hiſce cacochymiis, aliquando non tantum materiæ nutritiæ elaboratio & ſecretio impeditur, ſed totum corpus brevi conſumitur, imo in tabum penitus reſolvitur; ſic ſcorbutus & lues venerea, ſæpe non tantum pinguedinem & carnes conſu-

munt,

munt, ſed ne ipſis quidem oſſibus eorumque medullæ parcunt, ut horrendo ſpectaculo, ſæpe videmus.

§. 24. (ε) *Varia cerebri vitia:* Dixi enim in præcedentibus, nutritionem ſolidi non tantum fieri in vaſculis minimis nervis ſimillimis, ſed & in ipſis proprie dictis nervis, ſpiritus animales, in ipſo cerebro confectos continentibus; quorum ſpirituum ſecretio, quamvis omnibus, materiæ nutritiæ ſecretionem lædentibus, modo memoratis lædatur cauſis; tamen adhuc ſingulares quasdam, ab ipſius cerebri conſtitutione dependentes, cauſas, agnoſcit, nempe: ipſius cerebri obſtructionem compreſſionemque quacunque de cauſa ortam, ſive ab humore intra cranium effuſo, ſive a tumore ibi enato quocunque, ſive ab intropreſſione ipſius cranii: porro cerebri ipſius inflammationem, abſceſſum, gangrænam, ſphacelum aut eroſionem, ab omnibus hiſce cerebri vitiis, functio ejus lædi debet, & etſi bonus ſanguis feratur ad caput; tamen, ſi dicta cerebri vitia adſunt, ſpirituum animalium, qui nullibi alias, niſi in ſolo cerebro fiunt, ſecretio & diſtributio impediri, ſicque nutritio imminui debet.

§. 25. In recenſendis atrophiæ univerſalis cauſis ordo nunc exigeret, ut de cauſis, ſuccum nutritium nimis conſumentibus, ageretur; ſed quoniam de malo, in ſex rebus non naturalibus, varias ad veram nutritionem requiſitas functiones, aliquando lædente; aliquando vero, materiam nutritiam nimis conſumente & diſſipante regimine, ut atrophiæ univerſalis cauſa, adhuc quædam dicenda reſtant, ſimul de materiam nutritiam nimis conſumentibus & hac ratione atrophiam, ſeu extenuationem corporis producentibus cauſis, dicendi dabitur occaſio (α) itaque huc refero *aërem, vario modo peccantem:* poteſt enim aër eſſe vel nimis æſtuans, vel nimis gelidus; nimis humidus, vel nimis ſiccus; nimis gravis, vel nimis levis. Aër nimis æſtuans liquidiſſima & mobiliora nempe aquoſas, ſpirituoſas, ſalinas volatiles noſtrorum humorum partes, diſſipando reliqua lentiora aggregat, inſpiſſat & immeabilia reddit, adeoque obſtructiones, inflammationes, coctiones impeditas atramque bilem facit;

 hinc

hinc & in calidis illis regionibus in quibus HIPPOCRATES vixit, morbus hic atrabiliarius, de quo toties loquitur, valde familiaris fuisse videtur: imo idem hic aër corpus valde debilitat; nam liquidissima humorum parte dissipata, vasa a crassis humoribus relictis, vi cordis nimis elongantur, distenduntur & robur suum amittunt, unde, ut & simul, a magno illo subtilissimorum humorum, ipsorumque spirituum dispendio & omnium solidorum fluidorumque rarefactione & laxatione, ingens oritur corporis debilitas & quatenus idem hic aër coctiones impedit, subtilissimam sanguinis partem & simul nutritiam nimis dissipat, obstructionesque parit, nostri morbi causa esse potest: Aër vero nimis gelidus, fibras vasorum accurtando, sicque vasa constringendo roborandoque, humores cogendo & densando, actiones fluidorum in solida & solidorum in fluida nimis auget, unde si corpus simul movetur, summa oritur humorum attenuatio solidorumque attritus & perspiratio, hæcque ratio est, quod tempore hyberno & frigido magis famelici simus, ac æstivo & calido, quod jam dudum notavit Magnus HIPPOCRATES (x) dicens, ventres hyeme & vere natura esse calidissimos, ideoque illis temporibus plura alimenta esse adhibenda, quia copiosiore nutrimento indigent: hisce enim temporibus, ventrum calor naturalis major est, quatenus a frigore contractis roboratisque vasis & densioribus redditis humoribus, augetur actio solidorum & fluidorum in se invicem, a qua actione omnis corporis calor dependet; si enim in vasis & humoribus quies est, summum oritur frigus, ut in cadaveribus videre est: Sic ergo natura, tempore frigido majorem motum excitando, suppeditat illum calorem quem aër frigidus tollit, & quoniam ab aëre illo frigido, omnia vasa & viscera fiunt fortiora, digestiones fiunt celerrimæ & perspiratio maxima, hinc copiosiore alimento & nutrimento opus est: quando ergo accidit, ut dictis causis plus de corpore deteratur, quam per alimenta ingesta refici potest extenuatio corporis oritur: aër nimis humidus, vasorum fibras, imo totum corpus, qua-

si

(x) Aph. 15. Sect. 1.

si in perpetuo balneo nimis laxando & emolliendo functiones ad nutritionem requisitas nimis debilitat, quam ut debitum suum opus, legitime absolvere possint & hac ratione atrophiæ nostræ causa esse potest: Aër vero nimis siccus, liquidissima humorum nostrorum dissipando & reliqua incrassando, nutritionem quoque valde imminuit. Aër nimis gravis, vasa nimis comprimendo, humores tam densos facit, ut per canales suos transire nequeant, & quidem imprimis, in pulmonibus gravitatis sua nimiæ effectus præstat, eos nimis distendendo sicque vasa eorum comprimendo, ut cordi oriatur nimia resistentia motusque humorum suffocetur, nam quanto majus spatii occupat aër, tanto minus spatii debent habere humores, adeo ut eorum, propter illam vasorum compressionem, per pulmones transitus, impediatur debitæque elaborationes & secretiones lædantur: Aër vero nimis levis, vasa minus juste premendo, eorum robur minuit, humores rarefacit & in aliena vasa derivat: arteriæ enim nostræ secundi generis, si non premuntur ab aëre ambiente externo, fiunt tam latæ, ut admittant humores vasorum primi generis, sicque actiones debitæ vasorum in humores & humorum in vasa, omnesque secretiones læduntur, & sic quoque binis his posterioribus aëris vitiis, æque ac reliquis memoratis nutritionem impediri ideoque atrophiæ universali causas præberi posse satis patet: Maxime tamen, si simul, aër, halitibus noxiis & venenatis ut arsenicalibus, sulphureis, mercurialibus, putridis, cadaverosis, pinguibus similibusque, fuerit inquinatus.

§. 26. (β) *Cibos quantitate vel qualitate peccantes:* quantitate peccant nimia copia, vel inopia: copia nimia peccant, si tam magna quantitate ingeruntur, ut ventriculus inde valde distendatur & paralyticus fiat: tunc enim fibræ ejus, vi sua contractili destitutæ, nil in contenta agere possunt; sed omnia ingesta spontaneas suas subeunt mutationes, easque varias pro varia assumtorum indole, adeo ut digestio & chylificatio fieri nequeat: vel & copia peccant, si quantitate assumuntur tanta, ut per vomitum iterum ejiciantur: hæc

fieri videmus in βουλίμω seu βουλιμία & in ὀρεξικυνώδη. Inopia peccant cibi, quando tam exigua quantitate aſſumuntur, ut non ſufficiant, ad vitam ſanam ſuſtinendam & id, quod per vires vitæ, detritum & perditum eſt, reſtituendum; hoc in ſanis fit, a nimia abſtinentia & eſurie, ſi illam pati coguntur: in ægris vero ab appetitu imminuto, deleto, vel ciborum abhorrente faſtidio, ut in δυσορεξία, ἀνορεξία & ἀποσιτία videmus. Qualitate peccant cibi, vel quando nimis tenues & parum admodum nutrimenti habentes, continuo aſſumuntur: vel quando nimis tenaces & duri quam ut digeri poſſint; maxime tamen ſi abſurda & ab uſu humano prorſus aliena, appetuntur & ingeruntur, ut in κίσσα ſive pica, vel μαλακία videmus; hi enim ægri varia diſſona & penitus a viribus corporis humani inſuperabilia, appetunt & devorant, ut ſunt calx, fiſtulæ tabaceæ, carbones, teſtæ, creta, panni, coria, arena &c. quæ & ſimilia, ſæpe ingenti copia, continuo ex crumena ſua devorant: Sic FERNELIUS (y) viri nobilis meminit, qui tanto calcis vivæ edendæ deſiderio premebatur, ut illam pugni magnitudine devoraret. Similia exempla plurima habentur & certe mira, apud varios obſervatores, ut SCHENKIUM, M. DONATUM aliosque. Huic morbo, inter viros, obnoxii maxime ſunt illi, qui morbo hypochondriaco & inter fœminas, quæ paſſione hyſterica, laborant genus nervoſum ſpiritusque valde mobiles & absque mentis imperio, nunc in hanc, nunc in illam partem derivandas, habentes halitusque & flatus, quibus hi ægri obnoxii ſunt, facientes: Sed ut in his, ſic & in gravidis, morbus hic valde familiaris eſt; maxime tamen iis, quæ ſimul hyſtericæ ſunt: hæ enim gravidæ, aliquando abſurda & ab uſu humano penitus aliena; aliquando vero, non quidem alienos, a natura hominis, ſed conſuetos & bonos appetunt cibos, tam avide & animo tam impotenti, ut niſi eorum participes fiant, languorem vel abortum patiantur, aut ſtigma infanti imprimant, & hicce mirabilis appetitus, in his quoque a mutato ſpirituum motu, ori-

(y) Patholog. Lib. 6. cap. 3.

oriri videtur; ut & obſervatur quod ii, qui μαλακία laborant, ſint plerumque valde debiles & materiam in primis viis peccantem, illi, quam appetunt, contrariam eaque utcunque corrigendam, habentes, ut illi qui cretam, calcem & ſimilia abſorbentia appetunt, acido quod his optime abſorberi & corrigi poteſt, in primis viis peccante laborare videntur, eſtque ideo hic morbus, maxime frequens, in debilibus puellis nil ferè niſi aceſcentia, comedentibus. Sed ut his memoratis aſſumtorum vitiis, nutritio impeditur & univerſalis atrophia oriri poteſt, ſic & cibi nimis acres, ſalſi, aromatici, vel ſpirituoſi, continuo aſſumti corpus exſiccando, hunc morbum noſtrum facere poſſunt.

§. 27. (γ) *Potus quantitate & qualitate peccantes:* hi quantitate peccando, noſtri morbi cauſa eſſe poſſunt, præcipue, quatenus nimia copia & nimis ſubito repetitis vicibus, qualeſcunque fuerint aſſumti, ventriculum, ut cibi nimia copia ingeſti, adeo diſtendunt & paralyticum reddunt, ut poſtea ſe contrahere & in debitum ſuum ſtatum reſtituere nequeat; ſicque præcipuam χυλοποιήσιος officinam, lædunt & omnia inde ſequentia mala producunt: Vel quatenus nimis parva copia aſſumti, ſanguinem per continuum circulum, ſpiſſiorem & acriorem redditum, debita dilutione & temperatione privant, quod obtinet in hominibus, qui omni potu deſtituti, ſitim, utpote ſanguinis nimis inſpiſſati & acrioris redditi ideoque dilutione indigentis, nuncium, ferre coguntur. Sed quamvis potus ſola quantitate peccantes, actionem ventriculi lædendo eumque nimia diſtenſione, ad χυλοποιήσιος opus ineptum reddendo, ſi nimia copia; vel ſanguinem ſpiſſiorem acriorem & ad nutritionem ineptum faciendo, ſi inopia peccant, atrophiam univerſalem producere poſſunt; Maxime tamen, hunc morbum faciunt, qualitate ſimul peccando; ſic ſi potus fuerint nimis aquoſi, imprimis calidi, utpote magna vi laxante & emolliente præditi, & magna copia, continuo ingerantur totum corpus debilitant; imo homines Herculei roboris, ſubito peſſumdant, omnium viſcerum vaſorumque functiones lædunt, quare & illi, qui potui Theæ

& Coffee nimis indulgent eoque abutuntur, in leucophlegmatiam, hydropem variosque morbos soporosos incidunt: si vero vasa, fuerint adhuc tam fortia, ut humores suos qui iis labefactatis stagnarent, accumularentur & hydropem facerent, permovere adhuc possint, iidem hi potus, sanguinem tam tenuem reddendo, ut vasis coërceri nequeat, sed solis particulis crassis in corpore relictis, exhalet, vel per sudores, vel urinæ vias exeat, corpus exsiccare & quoque hac ratione atrophiam excitare valent, adeo ut potus illi Theæ & Coffee, non immerito vocari possint, amabilis quidem & blanda, sed & fallax illa meretrix, quæ primo procos suos quidem exhilarat agilioresque reddit, sed brevi post ut improba Venus exsiccat. Porro potus qualitate simul peccant, si fuerint nimis acres & spirituosi: hi enim nimia copia quotidie assumti, fibras contrahendo humoresque coagulando corpus quoque exsiccant, in continuo quasi igne retinent, nostros spiritus avolare faciunt, nervos minimos comburunt, tandemque obstructionibus viscerum vasorumque natis, ipsum, qua plerique horum potuum amatores moriuntur hydropem producunt.

§. 28. (δ) *Motum muscularem nimium:* hic contractiones villorum muscularium & vasorum reciprocas valde auget, hinc & majorem actionem solidorum in fluida & vicissim fluidorum in solida excitat, qua subtilissima humorum nostrorum pars dissipatur, salia nostra, natura sali ammoniaco proxima, oleaque nostra blanda acriora & volatilia reddita, exhalant: statim enim animalia, quando ad summos labores se conferunt, macilescunt; hinc nunquam videmus homines, duros labores continuo peragentes: obesos: nam omnis eorum pinguedo, per nimium illum motum fusa, volatilis reddita exhalando consumitur: imo ipsa solida ab attritu illo magno, per nimium motum muscularem facto, valde deteruntur: non possumus enim, durissimi ligni bina frusta, tam diu fricare ad se invicem, donec accipiant calorem sanguinis nostri, quin jam multum, de eorum substantia perditum sit, multo magis hoc obtinebit in solidis corporis nostri,

ſtri, talem fricationem & attritum patientibus, adeo ut per alimenta ingeſta reſtitui poſſit. Porro idem hicce motus muſcularis nimius, ſummam corporis rigiditatem facit, ita ut ipſæ fæminæ, quæ viris ſunt longe laxiores & molliores, panniculum adipoſum facile expanſile & multa pinguedine repletum habentes, quando duris laboribus ſe dant, non tantum brevi omnem pinguedinem conſumant, ſed vaſis minimis exſuccis redditis & concretione abolitis, penitus rigeſcant, imo viragines fiant: hinc itaque nimius muſcularis motus, quatenus humores noſtros conſumit & rigiditatem nimiam facit, ut atrophiæ univerſalis cauſa haberi poteſt.

§. 29. (ε) *Quietem nimiam:* ut motus muſcularis, nimiam rigiditatem & robur, ſic e contrario, quies nimia, nimiam laxitatem & debilitatem creat, & ſic torporem inducendo vaſis & humoribus coctioni perfectæ non ſufficit, nutritionemque labefactat: nam etſi tunc corpus alimentis repleatur, materiæ nutritiæ elaboratio, ſecretio & applicatio fieri nequit.

§. 30. (ζ) *Affectus animi:* hi enim ſi paulo vehementiores fuerint, humorum motum omnesque ſecretiones mire turbant, imprimis illi calidi dicti, qualis eſt veterum furor brevis, puto iram, hæc motum humorum ita auget, ut ſummum calorem ipſamque febrim faciat & ſic iracundi non immerito excandeſcere dicantur: ſic & ſumma lætitia ſpiritus adeo ſolvit, motumque humorem auget, ut ſæpe numero homines ſuffocando enecet. His oppiſiti animi affectus frigidi dicti, ut metus & moeror ſeu triſtitia, contrario quidem prioribus modo, in corpus noſtrum agunt, ſed non minora mala producunt; hi enim ſpirituum ſanguinisque motum, aliquando minuunt ad atoniam uſque, hinc nil plus perſpirationem impedit, ac mœſtitia, non quidem ſubitanea, ſed diuturna ſeu cocta illa triſtitia, ut docet SANCTORIUS in ſtatica medicina (z) imo ut hi; ſic & omnes reliqui animi affectus, mira in corpore noſtro, producunt phænomena eaque pro varietate affectuum varia, ſic animi an-

(z) Sect. 7. aph. 9.

anxietas ſumma, aliquando ita auget humorum motum, ut non tantum anhelationes ſummas producat, ſed vaſa quoque ita dilatet; ut vera ἀναϛόμωσι facta, ipſa vaſa ſudorifera ſanguinem rubrum emittant, quod mirum certe phænomenon, contigit Adorando noſtro Servatori Jeſu Chriſto, quando ſcilicet: cum Deo Patri, pro peccatis noſtris ſatisfacturus, juſtiſſimam ejus adverſus genus humanum iram ipſe experiri deberet, præſumma & ineffabili nobis vero adeo ſalutari anxietate, ſanguinei ſudoris guttulas emiſit, ut ſacræ teſtantur paginæ (a) Contrario vero modo ſæpe agit ſubitaneus terror, qui aliquando tantam quietem cerebro inducit, ſpirituumque & ſanguinis motum ad extrema adeo minuit, ut oriatur frigus, rigor tremor in artubus ſtuporque ſummus, imo cutis ipſa erigatur juxta elegans illud poëtæ.

Obſtupui ſteternuntque comæ, vox faucibus hæſit.

Sed ut hæc, ſic & ipſam mortem, aliquando produxiſſe viſus eſt hic terror ſubitaneus. Patet ergo ſatis quod omnia quæcunque fuerint animi pathemata, quoniam agunt vel ſpiritus nimis ſolvendo inordinate & celerius movendo, diffundendo; vel eorum motum minuendo ſiſtendove, inſignem corpori noſtro ataxiam morbosque varios, imprimis melancholicos ſeu atrabiliarios, ipſamque totum cerebrum turbando maniam & totius corporis atrophiam, inducere valeant.

§. 31. (η) *Excretiones nimias quascunque:* hæ enim ingeſta alimenta, humoresque noſtros nimis ſubducendo, corpus debito ſuo nutrimento privant, ſive fuerint evacuationes nimiæ ſanguinis, ſudoris, perſpirabilis ſanctoriani, urinæ, ſeminis, ſive fuerint excretiones nimiæ per os, ſive per alvum: his enim juxta ſummum HIPPOCRATEM corpus deſueſcit nutriri.

§. 32. (θ) *Excernendorum retentiones:* ſic ab urinæ, perſpirabilis Sanctoriani, menſium, fluxus hæmorrhoidalis & narium periodici retentione, varii morbi, febres & imprimis

(a) Luc. 22. vſ. 44.

mis variæ cacochymiæ quibus nutritio neceſſario impeditur oriuntur.

§. 33. (ι) *Vigilias nimias:* nam his ſpiritus nulla arte niſi ſomno, quo cerebrum quieſcit & nulla ſpirituum, nec per motum muſcularem, nec per exercitia ſenſuum conſumtio, ſed eorundem a ſanguine tunc æquabiliſſimè ad corticem cerebri allato, ſecretio & per vigilias conſumtorum reſtitutio fit, reparandi, una cum reliquis ſubtiliſſimis humoribus, nimis diſſipantur, reliqui vero humores incraſſantur, ſolida minima imprimis cerebri deteruntur, coctiones quæ tempore ſomni optime fiunt & nutritiones impediuntur, cruditates gignuntur & ſic toti corpori, tandem atrophia inducitur.

§. 34. (κ) *Somnum nimium:* ut vigiliæ nimiæ, ſic & huic oppoſitus ſtatus nempe ſomnus nimius corpori nocet: quemadmodum enim ſomno mediocri 7 vel 8 horarum, quo temporis ſpatio, crudi coctio abſolvi & ſpirituum per vigilias amiſſorum reſtitutio fieri, corpus iterum agile & ad munera ſua obeunda aptum reddi poteſt: ſic e contrario a ſomno nimio, quia omnia membra & ſenſus, imo totum cerebrum quieſcit, ſolaque vitalitas a cerebello, quod nunquam in vita quieſcit dependens, tota animalitate ablata adeo, ut merito ab Ovidio ſomnus *gelidæ mortis imago* vocetur, ſuperſit, ſpiritus quidem ſecernuntur, ſed non iterum diſſipantur, hinc in cerebro quieſcunt, lenteſcunt & ad motum inepti fiunt, & quia tempore ſomni, perſpiratio Sanctoriana valde augetur, multum de ſubtiliſſimis humoribus exhalat, reliqui vero incraſſantur & lenteſcunt, adeo ut a nimio hocce ſomno torpor inducatur toti corpori, vaſis & humoribus, ſicque ad nutritionis opus peragendum ineptum reddatur.

§. 35. (λ) *Omnia cujuscunque rei ſtudia nimis acria:* hæc nutritionem impediendo, atrophiam noſtram facere poſſe, quotidiana experientia docet: quando enim homines ſtudiis nimis acriter incumbunt, ab omni honeſto conſortio aliiſque operibus ſe abſtrahentes, uni objecto ſe dantes, plerumque

meditabundi & quasi aliena agentes, adeo ut ubi sint non sint, & ubi non sint sæpe sint, quiescunt & sedentariam vitam agunt, viscera χυλοποίησει inservientia, quæ nunquam quiescere & æqualiter premi, sed nunc plus nunc minus ope respirationis, qua quasi in prelo posita sunt, premi & moveri debent, propter parvam, ob quietem, respirationem, quiescunt, nec munere suo funguntur, hinc coctiones, a quibus nutritio dependet, depravantur, & dum interim continuis lectionibus, speculationibusque, spiritus animales exhauriuntur, corporis robur perditur, languor debilitas macies & pallor oritur ingens: imo tandem hi homines, colligentes materiam atrabiliariam in locis hypochondriacis, malo hypochondriaco contabescunt: hinc raro inveniuntur literati & solis studiis, cæteris omnibus relictis, se dantes, quin aliquo modo hypochondriaci sint & valde pallidi, unde trita illa loquendi formula, *impallescere chartis*; si vero ulterius procedit hoc malum, totum cerebrum, a materia atrabiliaria in actum deducta & eo versus delata adeo turbatur, ut non tantum a morbo illo hypochondriaco contabescant, sed & insani fiant, quod jam notavit divus senex HIPPOCRATES in suis scriptis de dementia Democriti: adeoque a solis studiis nimis acriter cultis, innumera mala oriri possunt ut cum Poëta fateri cogar: imo

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum
Ferrea vox.

Possim satis expedire, multitudinem & gravitatem tot tantorumque morborum, quos demum sæpe cita, sæpe infelix, excipit mors ultima linea rerum.

§. 36. Visis nunc præcipuis atrophiæ universalis causis, pauca adhuc de particularis atrophiæ causis dicenda restant: quæ itaque sunt vel nervorum vel vasorum sanguineorum majorum compressio, obstructio, vel discissio quibus debitus spirituum & reliquorum humorum ad partes motus, distributio & applicatio impeditur, sicque earum nutritio aboletur & quod hoc a nervorum vitiis modo recensitis fiat, patet ex eo, quod si nervus quidam major comprimatur, obstruatur,

vel

vel discindatur, non tantum immobilitas, sed & marcor partis oriatur; sic nervus ischiaticus obstructus, vel compressus facit, ut totum crus innumeros ramos ab eo accipiens, emacrescat & hunc eundem esse nervum, qui, Patriarchæ Jacobo, cum esset in lucta cum angelo, compressus, totum crus emacrescere fecit, creditur: sic & a nervo ischiatico, gladio transcisso, totum crus non tantum immobile & extra omne voluntatis imperium, sed & penitus marcidum factum fuisse, Dexterrimus ille anatomicus B. S. ALBINUS, ipse vidisse, in doctissimo suo collegio anatomico, aliquando retulit. Idem fit si arteria major, ramos suos per totam partem dispergens abscinditur, quia tunc reliquæ arteriæ quæ ab hac abscissa, humores suos habebant nullos amplius accipiunt, unde necessario pars illa, nutrimento suo privata, contabescit & exarescit, hujus rei exemplum admodum memorabile, me ex Magni & Excellentissimi Viri H. BOERHAAVE facundissimo ore hausisse recordor, scilicet, quod viderit rusticum quendam, cui abscissa fuerat arteria axillaris, quo facto, post prægressam ingentem hæmorrhagiam, totum brachium contabuerat & instar mumiæ Ægyptiacæ exaruerat. Imo omnis causa, quæ succi nutritii ad partem derivationem & applicationem impedit, vel quæ eundem hunc succum nimis ex illa parte educit, ut vulnera & ulcera manantia & fistulosa, atrophiam particularem facere potest.

CAPUT TERTIUM.

De signis Diagnosticis.

§. I.

De Diagnosi non est ut multum dicamus: generale enim signum diagnosticum, ex ipsa morbi definitione habetur, scilicet: quod in atrophia universali, totum corpus extenuetur, gracilescat & arescat: Adest itaque huic morbo

facies Hippocratica, ita dicta, quia a Divo illo ſene HIPPOCRATE, in prænotionibus deſcripta habetur, nempe: *naſus acutus, oculi concavi, collapſa tempora, aures frigidæ & contractæ, imiſque ſuis fibris inverſæ, cutis circa frontem dura, intenta & reſiccata, totiuſque faciei color ex viridi palleſcens, aut etiam niger aut lividus aut plumbeus*: Porro coſtæ ſunt protuberantes, ſcapulæ inſtar alarum & claviculæ inſtar arcus eminent, adeſt capillorum profluvium, ungues incurvati, abdomen in adultis plerumque collapſum & per conſequens rugoſum, in infantibus vero plerumque tumens & tenſum, robur & vigor imminutus, debilitas ſumma, ſudor nocturnus, reſpiratio difficilis, imprimis poſt motum corporis quodammodo auctum, cutis, laxa corrugata & arida, pedes, crura, manus digitique penitus aridi ſunt, omnibus eorum partibus muſculoſis extenuatis, oſſa tam arida, ut facillima de cauſa, frangantur: imo, uno verbo, corpus antea carnoſum & pingue, fit ſceleto ſimile, cutis vix oſſibus hæret, adeo ut miſeri hi ægri, ſint quaſi viva arefacta ſceleta.

§. 2. Particularis atrophiæ ſigna, ſunt quoque evidentiſſima, quando ſcilicet accidit ſolummodo alicui corporis parti, quod modo diximus de toto, nempe: extenuatio, marcor, aridura & mobilitatis imminutio vel integra ablatio.

CAPUT QUARTUM.

De Signis Prognoſticis.

§. 1.

Hujus univerſalis atrophiæ prognoſin quod attinet in genere dicendum eſt, eſſe, quia totum corpus afficit, affectum curatu difficillimum & ſi non ſubito curetur, ſæpe lethalem: hinc CHR. BENED. BENNET in theatro tabidorum (b) dicit, *tabidorum languor, ſine pulmonum aut*

(b) Pag. 98-99.

aut visceris cujusdam corruptela, tacita vi obrepens, Anglis infestissimus est, & nisi primis obediverit remediis (quod rarissime evenit) funestus; ubi respicere videtur hunc nostrum morbum, quando nulla amplius fit assimilatio & compactio humorum; sed omnia per sudores & diaphoresin diffluunt & avolant, unde tunc ἀτρωφία & μαρασμὸς oritur ingens. Verissimum ergo est aureum illud distichon.

Principiis obsta sero Medicina paratur
Cum mala per longas, invaluere moras.

§. 2. Diximus præced. §. atrophiam nostram universalem esse curatu difficillimam non tantum; sed & sæpe penitus incurabilem, imo lethalem: incurabilis itaque plerumque est si orta fuerit, a partium alimentis assumendis deglutiendis digerendis & concoquendis inservientium paralysi, imprimis si hæc accidat in fine morborum: incurabilis quoque est, si orta fuerit a ventriculo, intestinis, mesenterio, pancreate, hepate, liene, scirrhosis redditis: nullum enim huc usque notum est remedium quod scirrhum verum jam natum, durumque redditum resolvere possit: porro incurabilis est si orta fuerit, a ventriculo penitus calloso reddito, a mesenterio, pancreate, hepate petrefactis. Si vero ortum duxerit, a varia humorum δυσκρασία & depravatione, pro varietate cacochymiæ & temperiei ægri, aliquando magna, aliquando parva, aliquando nulla curationis spes affulget: Sed facilioris est curationis, si orta fuerit a viscerum vasorumque debilitate vel rigiditate nimia; a defectu salivæ, liquoris œsophagi, gastrici, succi pancreatici, bilis utriusque, sive horum liquorum defectus ortus fuerit, a nimia illorum excretione, sive ab imminuta eorum secretione, propter vasorum secernentium, vel emissariorum obstructionem adhuc resolvendam: facilioris quoque est curationis orta ab obstructione vasorum lacteorum, mesenterii, pancreatis, hepatis, splenis nondum nimis pertinaci, sed commodis remediis adhuc resolubili; ut & a vermibus in intestinis nidulantibus, a nimio corporis & animi motu, a cibis nimis tenacibus & duris, quam ut digeri possint, vel nimis tenuibus & nimis parum nutrimenti in

ſe habentibus, vel nimis acribus aromaticis, a potu nimis tenui & aquoſo, vel nimis ſpirituoſo continuo adhibito orta. Ab omnibvs his cauſis natus hicce morbus, ſi modo non nimis diu duraverit, utcunque adhuc curari poteſt. Ultimo tandem facilioris eſt curationis, a morbis acutis & quibusdam morbis chronicis orta, ut â ſcorbuto, febribus acutis continuis, vel intermittentibus, ſimilibusque aliis; quando enim hi morbi, bene curati ſunt, poſtea bono, in ſex rebus non naturalibus, regimine, nutritio facile reſtituitur, ſi modo non adſit, decrepita ſenectus: Senes enim plerumque tandem macileſcunt, ob ſummam quam adipiſcuntur rigiditatem in toto corpore, adeo ut ipſum cerebrum, tandemque cerebellum, non intacta relinquantur, quo tunc fit, ut defectu liquidi vitalis, tandem inſtar candelæ ardentis placide exſtinguantur, adeoque in his, radicalis atrophiæ univerſalis curatio, non eſt tentanda. Patet itaque ex dictis, quod quædam hujus morbi ſpecies utcunque adhuc ſint curabiles; quædam vero penitus incurabiles, juxta elegans illud diſtichon Poëtæ.

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger;
Interdum docta plus valet arte malum.

Idem de particulari atrophia dicendum eſt, ſi enim a vaſis nervisque majoribus, nutritiam materiam præbentibus abſciſſis, ſeu quocunque alio modo deſtructis, orta fuerit, penitus incurabilis cenſenda erit; ut & ſi jam eo uſque proceſſerit, ut inſtar mumiæ arefacta ſit pars, a quacunque cauſa orta fuerit, quoque incurabilis eſt; ſed ſi a compreſſione dictorum canalium nutritiam materiam adferentium originem duxerit, aliquando quidem, non tamen ſemper curabilis eſt; nam poteſt eſſe cauſa comprimens, tumor ingens Scirrhoſus irreſolubilis, magno vaſi accretus, ut ſine diſcrimine vitæ auferri nequeat; ſic & ſi vitium hæſerit in nervis, cauſa comprimens, vel obſtruens poteſt hærere in ipſo cerebro & quidem talis, ut nulla arte tolli poſſit. Si vero a ſimplici, vaſorum ſanguineorum & nervoſorum, obſtructione eaque reſolubili orta fuerit, idoneis remediis & auxiliis adhibitis, curari poterit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Curatione.

§. 1.

Jam ordo nos perduxit ad infestissimi hujus mali curationem: sed quoniam hoc, a tam multis & sæpe sibi invicem contrariis, contrariamque medendi methodum postulantibus causis oritur, variæque ejus species sint, generalis ipsius cura dari nequit; hinc ne dissertatio nostra crescat in librum, tontummodo præcipuarum & frequentissimarum universalis atrophiæ specierum, curationem addere conabor.

§. 2. Si itaque â sola viscerum vasorumque debilitate nimia, qua ad suppeditanda elementa nutritia ex ingestis, impares facta sint, ortus fuerit hic morbus, curatio consistit, in roboratione eorundem, quæ optime fit (*α*) assumtione alimentorum eupeptorum & multum materiæ nutritiæ continentium eorumque ita præparatorum, ut proximè accedant ad chylum nostrum & non indigeant magna viscerum, vasorumque actione. Horum alimentorum præcipuum est, lac animalis perfecte sani, imprimis junioris in flore ætatis, quod lac constat, parte chylosa animalis sic subacta ut non requirat magnam ventriculi aliorumque viscerum actionem; imo hoc lac non tantum chylum, sed & lympham tenuem & spiritus continet, hinc habet aliquid, quod ad ultimo elaboratam materiam nutritiam accedit, adeoque tepide assumtum non vero coctum, quia coctione omne subtile illud avolat, in atrophia hac summum præbet remedium: omnium tamen præstantissimum est, si æger ille sugat lac fœminæ sanæ, corpus suum exercentis; non vero torpentis, justo post ultimo captum cibum tempore, ex ipsis uberibus ejus: illud enim lac quod sic suctione hauritur, nil de subtilissimis suis particulis perdit, superatque omnium aliorum animalium

lac,

lac, nam homo homini simillimus est, & sic homo, potest elaborare pro homine, tale alimentum, quod jam cum chylo per viscera chylopoëtica subactum & in quo, primum digestionis opus, jam peractum est, imo ipsos spiritus continens; quo solo tenerrimi infantes, utpote ad alios cibos digerendos nimis debiles utuntur, qui ideo etiam tam diu dentibus destituuntur, donec viscera habeant tam fortia, ut cibos manducatione egentes, digerere possint, tunc demum ordinario naturæ decursu, erumpunt dentes, in aliis ocyus in aliis serius, quamvis prostent exempla infantum, cum ipsis dentibus natorum, sed hæc non naturalia, sed præter naturalia & rarissima esse, nemo non novit: Si vero ubera fœminarum sugendi occasio non detur, substitui potest lac alterius cujusdam animalis junioris sani, imprimis lac asininum, caprinum, equinum, ovinum, bubulumve. Solius enim lactis usu, dictis modis adhibito, homines summe debiles & atrophici, ab omnibus medicis jam destituti, quibus ab omnibus mors prædicebatur, curati & vegetissimi aliquando redditi visi sunt: scio hic objici posse, quod lac non transeat, sic per corpus, sed in ventriculo coaguletur; verum hoc est; sed quid inde mali? non enim quærimus crassum illum caseum, sed subtile illud, quod in sero hæret nempe spiritus, qui una cum sero a caseo separati, totum nostrum corpus permeare illudque reficere valent: caseus vero in ventriculo relictus, hujus, ni modo summopere debilis sit & præcipue, bilis actione, postea solvitur & digeritur. Si autem tanta est ventriculi debilitas & bilis inertia ut caseus ille, solvi non posse videatur, addito lacti sacharo, ejus ortus præveniri potest. Porro convenit albumen ovi recens & a gallina adhuc tepens, non coctum sed æquali parte aquæ vel lactis dilutum; imo ova a gallina adhuc calida sorbere, præstantissimum atrophicis paulo robustioribus quoque est remedium: si vero coquantur ova, subtilissima eorum pars nutriens perit & æque difficulter ab his ægris digeruntur ac carnes, quas summe debiles non ferunt. Tandem ad hæc alimenta referenda sunt jura carnium juniorum ani-

animalium tenuia, ſcilicet hæ carnes, pinguedine ablata ebulliant cum aqua, donec ſapor carnis ſit in aqua, tum potetur vel comedatur & habebitur cibus nutrientiſſimus; non tamen jura carnium præferenda ſunt lacti, quia hæc facile ranceſcunt, quod in lacte non obtinet: neutiquam ſumantur jura illa craſſa ſeu conſummata, quia admodum difficile digeruntur. Ultimo ad cibos hic apprime idoneos, refero decocta panis bene fermentati, nam ſi frumentum, non priusquam in panem coquitur, fermentatum eſt, tenacitas quædam difficillime digerenda ineſt, quam tenacitatem ſeu amylaceam & rebellem naturam, per fermentationem optime amittit, hinc quo panis melius fermentatus, ſi modo non nimiam aciditatem inde acquiſiverit, eo facilioris eſt digeſtionis: ſumatur ergo panis ad initium lenis acciditatis fermentatus, coquatur cum aqua & habebitur in ea præcipua materia nutritia ſoluta: ſi ulterius coquitur panis & aqua orietur cremor chylo noſtro ſimillimus, quoque hic ægris cibum convenientiſſimum præbet: ſi adhuc diutius coquitur, fit gelatina quæ cum ſero lactis, lacte dulci, jure carnium vel vino permiſta præbet optimum quoque in hoc caſu nutrimentum, ut & emulſio ipſius panis bene fermentati; cum aqua facta, cibum nutrientiſſimum, lacti ſimillimum, ſumme debilibus optimum confert. Quando vero viſcera jam robuſtiora reddita eſſe videntur, vel æger non valde debilis fuerit, cibis craſſioribus uti licet, nempe loco albuminis ovi, lacte vel aqua diluti, non cocti, comedat ova dilute cocta, ut adhuc ſorbilia ſint & loco juſculorum carnium tenuiſſimorum, jura carnium cum oryza & oleribus pro lubitu cocta, ipſasque carnes modica quantitate: ſic & loco lactis ſolius, lac cum oryza hordeo vel avena decorticatis, milio vel ſimilibus pro lubitu ægri cocta: hos cibos debet æger aſſumere majori minorive quantitate, prout debilior minusve debilis fuerit, in genere tamen dicendum, quod præſtet cibos dare, parca copia ſimul & ſæpe repetitis vicibus, ne nimis cogantur laborare viſcera, ſed æger ſe quidem inde refectum, non vero aggravatum & torpidum ſentiat. (β) uſu potus, ſpiritibus copioſis & ſimul auſte-

steritate quadam adstringente, prædita, qualis est vinum Rhenanum generosum, ex maturissimis uvis justo tempore, fermentatione optime peracta confectum, vel Mosellanum, Gallicum rubrum acerbum, Græcum nigrum vel simile: hæc vina habent quid spirituosi corpori humano salubre, amicum & proxime accedens ad illud elaboratissimum quod nutrit, simulque leniter adstringunt & roborant: ea tamen in dandis his vinis observanda est cautela, ne scilicet dentur mera, sed aqua diluta parva copia simul, repetitis vicibus, quia movent humores & in debilibus his ægris facile obruitur pulmo, humoribus nimis agitatis, imprimis cibis & potubus assumtis cito & crudis adhuc, ad pulmones delatis, unde tunc orieretur febris. (γ) Applicatione exhalationum corporum, sanorum, vegetorum, in flore ætatis, scilicet æger debilis, concumbat eum homine sano & vegeto ut spiritus ejus exhalatos, per vasa sua absorbentia undequaque in tota corporis superficie, osculis suis bibulis, patentia, imbibat, unde hinc ingens accipiet robur; cujus rei egregium exemplum refert CAPO DE VACCA, qui vocatus ad principem quendam regni hæredem atrophicum & ab omnibus medicis jam desertum, suasit illi, ut quæreret duas fæminas lactantes sanas, in flore ætatis, simulque corpus suum exercentes, victum laudabilem nutricibus præscripsit, jussitque principi ut nil nisi earum ubera sugeret & cum iis cubaret, & sic exhalationes earum haberet, quo factum est, ut æger sanatus fuerit & in salutem familiæ liberos procreaverit. Hanc methodum tantum ad debilitatem curandam valere, jam antiqui Hebræi norunt: Medici enim in aula regis Davidis, suaserunt ipsi debili Davidi, ut concumberet cum virgine sana vegeta, ut ab ea calefieret & exhalationes ipsius imbiberet. TH. SYDENHAM, hac methodo licet inusitata, summos effectus vidisse testatur, applicando adulescentulorum vivum vegetumque calorem & nunquam comperisse, iteratam calentium linteorum applicationem, ullatenus id præstare valuisse; sed viva animalia E. G. vivi Catelli, nudo ægri corpori applicati, eidem scopo inservire possunt; sic & panis

tostus

tostus vino generoso imprægnatus & madefactus, abdomini aliisque corporis locis, præcipue iis, quibus maxime sudamus ut sub axillis, ad inguina, aliisque similibus applicatus, valde debilibus insigne quoque robur adfert: omne enim spirituosum & reficiens a vasis absorbentibus imbibitur. (δ) Motu artificiali conciliato corpori, sive per frictiones, sive vectiones in navi, rheda, equo sive ambulationes & cursus, pro ratione virium ægri institutos; non enim sufficit, ut laudabilibus alimentis vasa corporis repleantur, sed debent etiam vires corporis in ingesta actionesque solidorum in fluida & fluidorum in solida quibus alimenta ingesta, optime digeri, in actum deduci assimilari & applicari possunt, augeri, quod omnibus dictis modis commode fieri potest; frictio enim est attritus & compressio iterata vasorum, qua alterne laxantur & comprimuntur, & si legitime instituatur arterias roborat sanguinemque venosum ad cor accelerat, adeo ut sit summum corroborans, in debili & inertia vasa habente corpore; actio enim vasorum consistit in contractione qua premunt liquida contenta; si ergo per illas frictiones, premo vasa ad contenta liquida, idem facio, quod alias vasa fortiora facerent; imo solis frictionibus, in frigidis & hydropicis corporibus, ubi summa inertia adest, magnus calor produci potest, qui in robustis dependet ab actione fortiori vasorum in humores & humorum in vasa. Vectiones in navi rheda vel equo, pro ratione virium ægri, sunt instituendæ; nam si ægri valde debiles fuerint vectiones in rheda vel equo instituere non audemus, metu ne motu illo majori excitato & concussibus illis validioribus, vasa ægri tenerrima, propter impetum a motis valde humoribus, rumpantur; hinc præstat inchoare a vectione in navi, ab oscillatione veterum, vel portatione in sella. Si vero minus debiles fuerint ægri, vel adhibitis remediis jam plus roboris acceperint, vehantur in rheda vel equo, quod omnibus reliquis, ni summa debilitas vetet, præferendum, & gradatim adscendendo, quotidie itinera magis magisque protrahant; his enim vectionibus & concussibus mechanicis, inde factis, aër continuo renovatur

& plus in corpus & pulmones adigitur ventusque, fit quasi adversus, unde vasa plus comprimuntur, majusque robur acquirunt: imo per eosdem hosce reciprocos concussus, totum corpus concutitur, vasa & viscera maxime roborantur, omnes humores lenti & congesti resolvuntur & moventur, adeo ut totum corpus, inde incalescat, & hæc ratio est, quod ii qui citissime equo vehuntur, adeo incalescant; concussione enim illa vasorum & viscerum pendulorum pressioneque venti, oritur species quædam frictionis, qua semper calor oriri debet: hinc patet, quare æger debilis non statim, a vehementissima equitatione debeat inchoare, sed a lenissima, gradatim adscendendo, nec ilico post prandium, vel cænam pleno ventriculo, sed hora una alterave ante prandium, vel 4 seu 5 horis post pastum ultimum, quando prima coctio peracta est, & tunc per illas vectiones, optimè succurritur coctioni secundæ, alias enim crudi adhuc cibi, expellerentur ex ventriculo & viscera ventriculo vicina, nimis ab ipso impleto premerentur. Quando vero hisce memoratis exercitiis, corpus jam majus robur acquisivit, musculares motus ut ambulationes, cursus & exercitia corporis, ipsi concedi possunt, sed lenissimè inchoando & gradatim adscendendo: primo ergo fiat ambulatio lenissima & quidem per loca plana duriora, in arena enim fit gravior, per loca declivia fit molestior, per loca acclivia difficilior; hinc plana loca & pavimento lapideo, ligneo aliove duriore strata, optima sunt; sicque gradatim pergendo & adscendendo ad lenes cursus perveniat: neutiquam tamen hæc quoque fieri debent, ventriculo pleno & crudis adhuc cibis distento, sed vacuo, vel saltem tam diu, post ultimo assumtum cibum, ut prima coctio ferè peracta & cibi jam ad expulsionem ex ventriculo apti sint: tandem sic pergendo, ad exercitia corporis se conferat, V. G. ad ludos pilæ, digladiatoris &c. ut CELSUS hæc omnia, ordine recenset; sed hæc quoque facienda sunt, idoneo in præcedentibus jam memorato tempore: at, quamvis hæc exercitia corporis, in curandis, a nimia debilitate viscerum vasorumque atrophicis, apprimè conveniant; in genere tamen

tamen monendum est, vectiones omnes, sive in equo, rheda, curru, carpento, navi vel sella fiant, longe esse anteponendas ambulationibus & reliquis corporis exercitiis; nam per exercitia illa, corpus quidem roboratur, sed quoque propter magnam spirituum illam dissipationem inde factam, defatigatur & multum de viribus suis amittit: per vectiones vero dictas roboratio optima fit, servatis tamen viribus ægri integris, & inter omnes vectiones, maximæ efficaciæ est equitatio, quæ itaque ni summa debilitas vetet, omnibus reliquis præferenda, & tam diu in ea perseverandum est, donec corpus satis roboratum esse videtur. (ε) Aër in quo æger debilis versatur, sit siccus, & si talis non fuerit, arte talis fiat, largo foco ex aromaticis resinosisque lignis, ut ligno juniperino, quercino vel simili, imprimis leviter acidum vaporem exspirante: porro aër nimis humidus corrigi potest, exhalatione aromatum, ut herba mentha, majorana, thymus, serpillum vel similes in lata mensa expositæ, exhalationibus suis, optime huic scopo inserviunt. (ζ) Vigiliæ sint paulo protractiores.

§. 3. Remedia ex Pharmaceuticis, in hac atrophiæ specie optima sunt, omnia quæ adstringunt, condensant & contrahunt id est, quæ fibras viscerum vasorumque corroborant sanguinemque densiorem reddunt; cui scopo varia inserviunt medicamenta simplicia, folia, flores, fructus, semina, ligna, cortices atque radices, ut folia argentinæ, acetos. omn. acetosell. bistort. cupress. fragar. myrth. nummul. nymph. portulac. querc. pentaph. sedi maj. torment. & c. flores acac. balaust. cynosbat. lapath. nymph. maj. ros. rub. ulmar. & c. fructus berber. cappar. corn. cyd. gland. querc. gall. mespil. immatur: pruna sylv. &c. Semina acetos. granat. plantag. portulac. &c. ligna santal. rubr. visc. quercin. lign. lentiscin. &c. Cortices acac. granat. cappar. cinnam. querc. tamarisc. &c. radices acetos. bistort. filic. lapath. plantag. tormentill. &c. ex his & similibus variæ remediorum formulæ fieri possunt, infusa, decocta, extracta, vina & cerevisiæ medicatæ conservæ, condita, pilulæ, pulveres; quorum formulas re-

censendo non immoror, adeat L. B. viri Excellentissimi H. BOERHAAVE incomparabilem libellum, de materia medica, ad caput de curatione morborum fibræ debilis & laxæ, ubi omnia huc pertinentia tuta medicamenta, fideliter recensentur, ita ut in his pro lubitu variare possimus: Præstantissimum hic quoque remedium præstat, vinum chalybeatum ex limatura martis & bono Vino Rhenano confectum, quod ter quaterve de die ad ℥ß assumtum omnes morbos, a mera laxitate fibrarum & inertia humorum felicissimè curat. In hisce similibusque remediis, ut & diæta, vectionibus & musculari motu lente pergendum diuque perseverandum est, donec appareat corpus jam satis roboratum esse, ne iterum in eandem debilitatem incidant ægri.

§. 4. Si sola viscerum vasorumque nimia rigiditas, qua fibræ horum sint tam fortes, ut debitam extensionem imprimis vasorum negent, sanguinemque nimis densum & compactum faciant, hujus morbi causa fuerit, primo omnium institui debet missio sauguinis, ut sanguis supermanens in vasis antea nimis compressus nunc majus spatium accipiat, rarescere & se expandere queat; quo enim sanguinem reddimus rariorem & tenuiorem eo plus augemus debilitatem corporis, & qui subducit de liquore vitali, ille minuit corporis vires: porro utilis est missio sanguinis in hoc casu, ut alimenta & remedia contra hunc morbum præscripta, eo commodius sanguini misceri eumque diluere possint; omnis enim novus chylus longe rarior & levior est sanguine, adeo ut si sanguinem mittam & ejus loco novum chylum restituam, sanguinem remanentem longe dilutiorem reddam, quod videre quoque licet in iis, qui ingentem hæmorrhagiam passi, inde debilissimi & postea hydropici fiunt. Ingerenda sunt in corpus ea, quæ humctando emolliendo & diluendo humores tenuiores, fibrasque viscerum & vasorum debiliores reddere queunt, sive alimentorum, sive medicamentorum titulo veniant: alimenta ergo sint aquosa, farinosa, oleosa, lactea, ut oryza, hordeum avena decorticata, milium, farina secales, tritici & similia in aqua vel lacte,

seu

ſeu aquæ & lactis æqualibus partibus cocta, ſerum lactis, jura carnium cum oryza vel hordeo decorticato & radicibus ſcorzon. tragopog. ſiſari, dauci vel ſimilibus cocta; piſces fluviatiles, cancri, oſtrea &c. cum aqua decocta, dant decoctum optime nutriens & ſimul valde humectans & emolliens; vitelli ovorum crudi, hi enim ipſa reſinoſa gummoſaque reſolvunt. Medicamenta hic optima ſunt ex mucilaginoſis & farinoſis herbis decoctis cum aqua, quales herbæ ſunt alcea, alth. malv. bismalv. verbaſc. parietar. violar. mercurial. atripl. beta. branca urſin. papav. erratic. ſaponar. glycyrrhiz. harum herbarum decocta, aliquamdiu adhibita, egregie in hoc caſu proſunt, ut & decocta ex mucoſis dulcibus ut ſunt ficus, jujub. ſebeſt. paſſul. maj. & min. optime hic quoque conveniunt mel, ſaccharum, manna, caſſia; olea expreſſa recentia blanda & inſipida, ut oleum amygd. dulc. olivar. lini, cremor lactis, butyrum recens & ſimilia: ſales omnes, exceptis metallicis auſteris adſtringentibus. Summi uſus hic quoque ſunt balnea, ſive ſint balnea immerſionum ſive vaporum: quando enim corpus immergitur balneo tepidulo, mirabiliter laxatur, ſordes detergentur, vaſa ultima arterioſa, perſpirabilia redduntur & venoſa imbibentia aperiuntur: ſed hoc incommodi habent balnea immerſionum, quod caput debeat manere extra balneum, quo fit, ut toto corpore ab aqua circumambiente plus compreſſo, omnis ſanguinis appreſſus fiat ad caput non compreſſum, ubi nullam inuenit reſiſtentiam; quando ergo hæc balnea inſtituentur, ad dictum incommodum præcavendum, capiti ſimul applicari debent, panni madidi calidi: balnea vero vaporum commodiſſime fiunt, quando homo laxe veſtitus, ſedet ſuper vas aqua calida plenum, habens circum ſe linteum ceratum, ut vapor eo melius a corpore recipi poſſit: hæc balnea mirifice reſolvunt corpuſque emolliunt (ut patet in oſſibus philoſophice calcinatis) imprimis, ſi ſimul inſtituantur lenes frictiones. Aër in quo æger verſatur ſit humidus: athmoſphæra enim humida, retinet corpora quaſi in perpetuo balneo, quo nil plus enervat & de-

debilitat; hinc videmus magnam in corporibus noſtris differentiam quando auſter vel afrus flat, quod ſcilicet in hoc ſint debiliora in illo robuſtiora; ſi itaque aër non fuerit humidus, aqua in pavimentum reſperſa & exhalationibus aquoſis talis fieri poteſt; ſic ſi ſumitur ramus ſalicis, populi, ſambuci, vel ſimilis & imponitur vaſi aqua pleno, tantum exhalet ex illo ramo, ut aër ſiccus, in illo cubiculo inde fiat humidus. Motus muſculares peragat hic æger nullos, ſed quieſcat; quies enim debilitat dum e contrario motus roborat. Somnus ſit diuturnus; nam nil plus debilitat ac emollit quam ſomnus, nil plus facit fibras rigidas ac vigiliæ, hinc hæ neutiquam hic conveniunt.

§. 5. Si rigida ſenectus atrophiæ univerſalis cauſa fuerit, quamvis illi inevitabilis ſit hic morbus & homines fato ſenili mori faciat, tamen ei ſuccurrere poſſumus & longævitati prodeſſe, & quidem eadem quam in præced. § retulimus emolliente & laxante methodo; neutiquam vero cibi & potus illi acres, quos auctores plerumque ſenibus commendant, conveniunt; corpora enim ſenilia ſicca adhuc plus exſiccant, & hinc VERULAMIUS optime dicit, corpora ſenilia debere irrorari; non vero exſiccari, quia ſenectus ea ſatis arefacit, & quoniam in ſenibus deficit ſolum id, quod per vaſa minima it, (nam plerumque multum ſanguinis habent ſed ſubtiliſſimi ſpiritus abſunt,) ſi hoc in corpora eorum derivare poſſumus vitam & humanitatem quaſi reparamus, hocque optime fit lacte, vel aſinino vel bubulo non cocto ſed adhuc ab animali juveni calido, vel ſaltem ſi tam recens haberi nequit, ad ignem tantum tepefacto, ne ſubtiliſſimi ejus ſpiritus quos quærimus avolent; omnium tamen optimum eſt, lac humanum ſuctu aſſumtum; ſi itaque ſenes atrophici & rigidi dictis modis lacte utuntur, vaſa laxantur & ſpiritus amiſſi reſtituuntur: poſt lac egregium quoque alimentum ſenibus illis præbent, jura carnium juniorum animalium. Optimum etiam remedium eſt, ſenibus atrophicis, quibus ſpiritus deficiunt, cum hominibus junioribus condormire vel juxta SYDENHAMUM vivos catulos cor-

corpori applicare, ut ſpiritus ex junioribus corporibus exhalantes imbibant. Pro potu utantur vino molli edentulo aqua diluto; neutiquam vero meraco & ſpirituoſo, quia id ſpiritus & rorem corporis ſenilis blandum, adhuc ſuperſtitem aufert vaſorumque conſolidationes & exſiccationes promovet. Porro ſenes hi exercitia corporis & animi validiora omnino vitare debent, quia ſpiritus ſuperſtites nimis diſſipant & ſenectutem adaugent; ſomnus & quies ergo ſenſim augeantur: frequens enim dormitio in ſenectute a VERULAMIO maxime laudatur & non immerito; nam diſſipationem ſpirituum minuit & alimenti diſtributionem ad partes promovet, hinc & ſomnus dici poteſt nutrire, ut docent exempla animalium per totam hyemem dormientium, ſine ullo interim aſſumto cibo & patet quod non inutile poſt prandium, ſenibus & debilibus quibus ſpiritus deficiunt, præſcribatur ſomnus. Animi affectus omnino ſint moderati, non tamen penitus ſupprimantur; ſed habeant aliquid, quod juxta VERULAMIUM cogitationes & animum placide detinere poſſit, ut ſunt literæ, ſtudia plantandi & ædificandi, quibus optime ſpiritus confortantur: ſæpe recordentur acta pueritiæ, vel adoleſcentiæ, quæ recordatio ſingulis ſenibus eſt tanquam peculiaris recreatio: admiratio & levis contemplatio quoque detinent ſpiritus in rebus quæ placent, hinc contemplatores rerum naturalium ut Democritus, Plato, Parmenides, Apollonius aliique tam longævi fuerunt: omnium maxime tamen, ſpes & deſideria his ſenibus utilia ſunt & longævitati proſunt. Medicamenta hic optima ſunt irrorantia & emollientia, ut vinum & aqua cum melle eſt optimum hic remedium, quia corpus laxat & ſpiritus interim nonnihil excitat, & ut eo melius lenti humores, a defectu virium orti, ſolvantur, utatur aliquando ſaponaceis, dulcibus, mellitis, ſaccharinis, addito gummi quodam aromatico, ſale, croco, ſimilibuſque: nil melius lentores ſeniles ſolvit, quam ſi adveniente ſenectute, homo utatur diæta, ex pane bis cocto & uvis paſſis, cum decocto ligni ſantali, guajaci, rad. chin. ſalſaparill. vel ſimili & per aliquod tempus hoc conti-

nuet, tunc hoc modo purgabit omnes humores & corpus de novo nutrietur: vel ad lentores illos solvendos instituatur ptyalismus ope mercurii, qui egregios sæpe præbet effectus. Ad siccitatem senilem tollendam conveniunt balnea, inunctiones, halitus, fotus, clysmata, ex emollientibus blandis oleosis facta. Ad confortandos spiritus medicamenti loco inservire potest, applicatio odoris grati ad nares, ut est odor mali citrii, aurantii, rosæ, caryophyll. &c. hac dicta methodo optime succurritur atrophiæ illi senili, neutiquam vero conveniunt ulla remedia acria, stimulantia, calefacientia, quamvis stomachicorum & concoctionem adjuvantium nomine veniant, nam flammam quidem excitant, sed brevi exstinguunt, adeo ut, spiritus nostros quidem incendant, sed vitam abbrevient.

§. 6. Si humorum, ad χυλοποίησιν destinatorum, defectus, vel depravatio, hujus morbi causa fuerit; curatio, pro varietate causæ, hunc defectum vel depravationem facientis, vario quoque modo instituenda est, scilicet si a nimia secretione & extra corpus excretione, ut a peculiari quadam dispositione & laxitate in partibus, dictos humores secernentibus nata, magnoque humorum eo versus affluxu, quibus fit ut ingens horum humorum secretio & vel per os, vel per alvum excretio fiat, oriri potest, dicti humores deficiant, curatio consistit in corroboratione laxi & derivatione affluxus humorum aliorsum: V. G. si hæc dispositio & laxitas, humorumque magnus affluxus ad glandulas salivales fuerit, magnaque salivæ quantitas secernatur & extra corpus excernatur, ipsis glandulis salivalibus nimis laxis, quantum fieri potest, applicanda sunt medicamenta corroborantia, ut sunt fomentationes adstringentes, blande aromaticæ, penetrantes, ope pannorum laneorum calide maxillis applicatæ: collutiones oris ex similibus: suffitus ex thure & mastiche ore excepti: frictiones & linimenta penetrantia & corroborantia, parti affectæ applicata, qualia sunt unguentum martiatum, ung. altheæ composit. ung. nervin. vel similia alia: porro impetus nimius humorum ad illas glandulas, imminuendus

est, derivando eum aliorsum aliasque excretiones faciendo copiosiores, scilicet: vel movendo alvum, per hydragoga & phlegmagoga; vel diuresin excitando, per diuretica; vel diaphoresin augendo, per diaphoretica. Si similis laxitas fuerit in glandulis & vasculis secernentibus, ventriculi & intestinorum aliarumque vicinarum partium & affluxus humorum eo versus nimius fit, eadem hæc corroborantia abdomini applicanda, frictiones lenes prudenter instituendæ & impetus humorum, ab his partibus, dictis modis, prout rerum circumstantiæ indicaverint, aliorsum derivandus est; hac enim methodo, partes nimis laxæ corroborantur & secretio nimia sensim minuitur. Si propter nimiam tenuitatem fluiditatemque sanguinis, dicti humores nimis ex corpore eliciuntur, remediis sanguini justam densitatem conciliantibus § 3. enarratis & purgantibus fortioribus hydragogis & phlegmagogis ex scammon. gialapp. diagryd. electuar. hydrag. &c. Ut & sudoriferis, diureticis atque diaphoreticis, curatio est instituenda: porro, ad sanguinem nimis tenuem condensandum, conveniunt apophlegmatizonta, foliorum tabaci masticatio, vel fumi eorum suctio, his enim magna liquoris copia ex ore elicitur, sanguisque liquidissima parte ablata, condensatur. Si a materia acri stimulante, in ventriculo & intestinis hærente, ultimorum vasculorum secernentium fibras vellicante, majori contractione & motu oscillatorio afficiente, nimia liquoris copia ex corpore elicitur, materia illa acris, per viam convenientem & quo versus natura inclinat, sive sursum, sive deorsum, est expellenda: Medicus enim est tantum minister naturæ & naturam adjuvando, optime curat, hinc MAGNUS HIPPOCRATES dicit, natura quo vergat, eo ducenda est. Si vero, dictorum humorum defectus ortus fuerit, ab obstructione glandularum earumve ductuum, viscerum vasorumque, a materia lenta, crassa, viscosa immeabili, curatio consistit, in partis affectæ laxatione, materiæ lentæ crassæ viscosæ incisione, attenuatione, resolutione ejusdemque sic præparatæ expulsione & dissipatione; hisce indicationibus satisfaciunt, medicamenta aquosa laxantia

tia & ſimul incidentia, attenuantia, reſolventia & diſſipantia ut ſunt decocta vel infuſa herb. ſalv. betonic. heder. terreſtr. chamædr. chamæpit. thym. ſerpill. flor. chamæmel. melilot. ſamb. ſemin. aniſ. fœnic. car. dauc. rad. fœnic. dauc. glycyrrhiz: & ſimilium quæ laxant, reſolvunt, incidunt & ſimul diſcutiunt. Si autem obſtructio fuerit pertinax, in locis glandulosis aliisque, quibus ſegnis eſt humorum motus, remedia valde penetrantia, attenuantia, fortius incidentia, materiam in vaſculis vel cavitatibus hærentem & ſtagnantem moventia, reſolventia ipſosque ſudores elicientia, ſunt adhibenda; talia ſunt, decocta vel infuſa ex ligno guajac. ſaſſafr. ſantalis omnibus, cortic. guajac. Winteran. rad. chin. ſalſaparill. bardan. ſerpentar. virgin. contrajerv. polypod. angelic. imperat. irid. flor. glycyrrhiz: ſtipit. dulcamar: & ſimilibus intimiores corporis partes penetrantibus & reſolventibus. Hæc remedia ſi modo nullus inflammationis, vel ſcirrhi præſentis metus ſit aliquamdiu uſurpata, pertinaces etiam obſtructiones egregie reſolvunt, nam quatenus humores valde movent, febrim quandam, qua optima reſolutio fit, excitant, ſic ipſæ febres, a materia lenta obſtruente ortæ, febri curantur: imo febres ardentes, habentes ſanguinem nimis craſſum & immeabilem, febri moderata ſervata curari debent. Sed ut hiſce fortioribus remediis, dictæ obſtructiones feliciter curentur, ſic non minus feliciter & tutius, hoc faciunt, ſucci illi ſaponacei ex recentibus, ſi obtineri poſſint herbis expreſſi, qui non tanto ſtimulo & tam fortiter movendo humores, ſed materiam obſtruentem, ſaponacea ſua vi ſolvendo & quaſi fundendo agentes, obſtructiones etiam pertinaces, a materia lenta craſſa viſcoſa, imo tartarea & gypſea factas, imprimis hepatis & lienis ut bilis ſecretionis læſæ cauſas, egregie reſolvunt, tales ſunt ſucci expreſſi ex cichoreo, taraxaco, lactuc. endiv. chondrill. dente leonis, hierac. gramine, fumaria, portulaca recentibus & una cum radice expreſſis. Decocta earundem herbarum ut & marrub. abſynth. cent. min. eupator: cannab. radic. ſ aper. ſcorzon: Aquæ acidulæ, ſerum lactis ſolum, vel cum melle, magna copia ſumtum.

Fru-

Fructus horæi maturi, si haberi possint, magna quantitate ingesti, usque dum diarrhœam faciant, ad hasce viscerum abdominalium obstructiones resolvendas egregie quoque conducunt: Imo eadem hæc remedia, quoque conveniunt si propter obstructum ductum cysticum, vel choledochum, bilis in intestinum duodenum fluere nequit, imprimis succus graminis recentis expressus, vel decoctum graminis recentis, cum sero lactis; hæc enim ipsam tartaream gypseamve materiam & lapillos ipsos hos ductus obstruentes, adhuc molles, resolvens præbent remedium. Porro, ad omnes dictas obstructiones resolvendas, conveniunt gummata varia, ut gummi ammon. galb. bdell. sagap. opopan. asa fætida, tam internè assumta, quam externe forma emplastri, e regione viscerum glandularumve obstructarum applicata, admistis aliis penetrantibus incidentibusque ut oleo laurino, ol. rorismarini, ol. succini vel simili: eadem hæc forma linimenti quoque adhiberi possunt, quando scilicet iis illinuntur partes corporis, sub quibus viscera glandulæve obstructæ latent, nam intime penetrant materiamque obstruentem resolvunt: Sed ab omnibus his memoratis remediis, longe præstantiores habebimus effectus, si simul adhibeantur balnea, imprimis vaporum, & frictiones; per hæc enim balnea, omnes pori cutis aperiuntur, vapor ille resolvens, a poris imbibentibus absorbetur, sicque æqualiter per vasa subtilissima humores diluuntur, obstructionesque resolvuntur, imprimis si ope frictionum, humor ille resorptus, in actum deducitur. Si solæ glandulæ salivales sint obstructæ, iidem hi vapores ope infundibuli excepti & ad partes affectas applicati, egregie eas resolvunt, imprimis si fuerint vapores decoctorum laxantium, incidentium & simul discutientium, tales sunt vapores decocti flor. chamæmel. melilot. sambuc. herb. salv. betonic. addito aceto, maxime si gargarismata & collutiones oris & fomenta externa, ex iisdem emollientibus discutientibus mixtis, simul adhibeantur: Si vero hæc obstructio tam pertinax est, ut omnibus his adhibitis non auscultet, ptyalismus ope argenti vivi excitatus, sæpe totam rem

absolvit: in curatione autem obstructionum viscerum abdominalium, summos effectus exspectare possumus, si usui dictorum remediorum, junguntur quoque vectiones in rheda vel equo. Dicti humores si non quantitate, sed qualitate peccant & cacochymia quadam depravati sunt, tota curatio consistit in correctione cacochymiæ hanc depravationem causantis, de qua hic dicendi non est locus; accidit tamen aliquando, ut bilis depravetur & penitus enervetur, non a cacochymia humorum, sed solo prædominio acidi, vel pituita glutinosa, in primis viis collecta: si itaque a prædominio acidi in primis viis hærente, bilis enervata sit, remediis absorbentibus terreis & concentrantibus ut creta, bolo armen: terr. lemn. lapid. cancr. corall. rubr. perl. ostracoderm. præparatis, lap. hæmatit. & similibus acidum illud prædominans est infringendum & absorbendum. Si vero a glutinosa pituita, in primis viis collecta, bilis vis nimis enervata sit, calidis aromaticis incidentibus nuc. mosch. caryoph. mac. cubeb. sem. anis. cumin. fœnic. car. rad. acor. galang. zedoar. zingib. & similibus est incidenda & ab alimentis glutinosis omnino abstinendum est ægro. Porro bilis depravata & dictis modis vitiata, emendari potest oleosis, pinguibus, saponaceis ut & amarissimis & bilem amaritie sua provocantibus ejusque vices gerentibus remediis, qualia sunt omnia olea; hæc enim calore fiunt acerrima, sic ipsum oleum amygd. dulc. tempore æstivo brevi temporis spatio rancescit & acre fit: imo quotidie videmus in culinis, quod butyrum blandum in sartagine frixatum, bilis colorem & saporem amarissimum accipiat. Conveniunt hic quoque omnes sapones illi artificiales, qui acrimonia sua alcalina & saponacea, bilis vires restaurare valent, ut sapo Venetus, Starkeyanus, sapo niger &c. sic in infantibus, quibus bilis plerumque ab acido & pituita enervatur, solus sapo venetus, in lacte dulci calente dissolutus & tantillo sacchari edulcoratus, commodissimum præbet remedium. Ut & sapones nativi oleo & alcali gaudentes, quales sunt succi expressi, ex herbis omnibus acrimonia alcalina validis, vel admodum aromaticis, im-

imprimis amarissimis illis ut absynth. card. benedict. cent. min. radic. gentian. helen. &c. ex his & similibus possunt etiam pro lubitu fieri infusa, decocta, conservæ, condita, vina, cerevisiæve medicatæ, in eosdem omnino fines, Ipsum fel animalium imprimis piscium, bilem acerrimam habentium ut fel lupi piscis, anguillæ, tauri, aliorumve animalium, sunt egregia adversus hæc bilis vitia, remedia, imo fel taurinum, vel piscis alicujus V. G. anguillæ, abdomini e regione umbilici, illitum summos effectus præstat.

§. 7. Si vermes in intestinis nidulantes, atrophiæ causa fuerint, hi sunt enecandi, nidi eorum destruendi, viæ expurgandæ & intestina postea corroborandæ sunt ut regenerationem eorum præveniamus, porro vitanda sunt, omnia, quæ regenerationi huic occasionem præbere possunt: hisce indicationibus optime satisfit 1. dando omnia potenter acida & salsa, ut spiritus salis, sp. sulph. per camp. sp. nitri, sp. vitriol. in magna quantitate aquæ diluti, ita scilicet ut ℥xx aquæ simplicis vel stillatitiæ, addatur spiritus cujusdam modo memorati V. G. vitrioli modo ℈ß, huic miscelæ addatur tantum sacchari, ut gratus sapor concilietur: porro conveniunt omnia amaricantia ut abrotan. absynth. card. bened. dictamn. eupator. gentian. rut. santonic. tanacet. & semina earundem herbarum. 2. Post hæc dando purgans ex foliis sennæ, aloë, scammon. diagryd. colocynth. mercur. dulc. vitriol. mart. tartaro vitriolat. & similibus, quibus viæ optime purgantur, vermiumque nidi destruuntur: externe conveniunt linimenta, ex amaricantibus & penetrantibus, ut sunt olea cocta aneth. colocynthid. olea stillat. menth. lavend. tanacet. succin. castor. unguenta ut ung. arthanit. martiat. alth. composit. quibus oleum aliquod penetrans, ut ol. laurin. absynth. junip. tanacet. thereb. vel simile addatur, iisque abdomen inungatur. 3. Vermibus jam enectis, expulsis viisque purgatis, intestina corroborando, remediis corroborantibus adstringentibus & aromaticis alibi jam recensitis. Si vero in infantibus tenellis, in quibus dicta methodus, quia nil nisi dulcia, neutiquam vero amara & omnium minime

forma

forma pulveris assumere volunt, adhiberi non potest, semina illa anthelmintica admisceantur melli; mel enim optimum quoque anthelminticum est, adeo ut mel solum, post datum lene purgans, in tenellis infantibus, sit optimum contra vermes remedium.

§. 8. Si a sanguinis ipsius vitiis & quidem præcipue, ejus inopia & cacochymia orta fuerit atrophia hæc universalis, curatio obtineri potest supplendo defectum per alimenta analeptica, subito amissum sanguinem restituentia §. 2. hujus capitis memorata, sic solo jure carnium, homines pessimam hæmorrhagiam passi optime aliquando curati sunt: ut & corrigendo cacochymiam, per remedia ipsi contraria qua correcta usu laudabilis diætæ, ni modo adsint viscera simul corrupta, nutritio iterum rite procedet.

§. 9. Hisce dissertationi meæ finem imponerem, ni adhuc aliquid dicendum restaret, de curatione atrophiæ particularis: hæc quamvis difficillime & sæpissime plane non, ut in prognosi hujus morbi notavimus curari possit: tamen si forte orta sit, ab obstructione vasorum sanguiferorum nervorumve majorum adhuc solubili, vel a causa dictos canales comprimente & idoneis remediis, sine discriminæ vitæ auferri potente, ni modo nimis diu duraverit & pars penitus jam arefacta sit, utcunque adhuc spes curationis affulget: si itaque compressio vasorum causa fuerit curatio obtinebitur ablatione causæ comprimentis, obstructiones vero si causa fuerint, datis interne remediis deobstruentibus, in curatione obstructionum viscerum pertinaciorum, commendatis, imo ipsam febrim excitantibus humoresque stagnantes moventibus: febris enim, ipsi paralysi, superveniens, teste MAGNO HIPPOCRATE, eam solvit: externe vero adhibitis balneis immersionum, in quæ ipsa pars atrophica immittitur vel vaporum quorum vapores ad partem applicantur, ex humectantibus, laxantibus additis simul penetrantibus incidentibus & nervinis, paratis; ut ex alth. malv. bismalv. verbasc. senecione,. branca ursin. menth. mentastht. majoran. lavend. puleg. rore mar. betonic. chamæmel. matric. &c. linimentis & frictionibus, quæ frictiones

ctiones possunt esse vel humidæ, vel siccæ, humidæ sunt, quæ fiunt ope pannorum, in spirituoso & penetrante liquido madefactorum, ut in spiritu lavend. rorism. spiritu vini camphorato, aqua stillat. lavend. tinctur. castor. oleo castor. succin. majoran. menth. guajac. sassafr. siccæ vero sunt, quæ fiunt, ope pannorum siccorum calidorum, fumo remediorum penetrantium impraegnatorum, ut fumo mastiches, olibani, succin. &c. his enim materia obstruens mobilis redditur & inertium vasorum robur augetur. Imprimis hæ frictiones ad nervorum initia, ut in cervice & spina dorsi sunt instituendæ: ab hisce enim, si vitium in ipsis nervis hæreat & simul (quod plerumque obtinet) paralysis illius partis adsit, bonus effectus sperari potest. Linimenta fiant ex ung. agripp. arthanit. martiat. nervin. additis similiter oleis valde penetrantibus, magnum enim in his affectibus curandis requiritur molimen, & eventus valde dubius est, adeo ut in his casibus, merito dicere liceat:

Omnia nam fluitant incerto lubrica casu
Ni tu, consilium, desque juvesque Deus.

FINIS.



COROLLARIA.

I.

Saliva non eſt humor excrementitius, ſed maxime ad vitam ſanam neceſſarius.

II.

Succus pancreaticus in ſtatu naturali nunquam eſt acidus.

III.

Bilis non eſt alcalina.

IV.

Spiritus animales dantur nutritionique inſerviunt.

V.

Quo homo eſt magis ſanus, eo plus ad ſui deſtructionem & interitum eſt diſpoſitus.

VI.

Febris plurimorum morborum optimum eſt remedium & æque naturæ ſui conſervatricis auxilii, ac morbi nomen meretur.

DE HEER

JAN HENDRIK STULEN,

Als Doctor in de Medicyne ingeweyt den 5 July 1728.

Dus pronkt ons LEYDSCH ATHEEN
Met 't Puyk van BENTHEIM'S Bloet,
Die alles door geſtreen,
Van ieder wert Gegroet.

HEER STULEN, die Vol-Leert
In Konſt van ARTSENYEN,
Van Hoog, en, Laag ge-eert,
Men DOCTOR in ſiet Wy-en.

My dunkt, ik ſie hem Staan,
Omringt, met GLANS en LUYSTER;
Hoe ſiet hem PALLAS aan:
En ſtaat GALEEN in 't duyſter!

Den Wyſen HIPPOCRAAT,
Syn Leſſen, en ſyn Schriften,
Bragt STULEN, tot dees Staat,
Om 't Waar van 't Vals te ſchiften;

Syn Breyn-kas Opgevult
Met kragt van Redeneeringh,
So wert hy Ingehult,
Al Spreekend van de TEERINGH;

Hebt Lof, Geleerde HEER,
Versiert, met Schoone Gaave;
Een ieder, Roemt U seer,
En stelt u by de BRAAVE;

Ga voort, O Grooten HELT!
En laat ons vorder hooren,
Hoe door U syn herstelt,
Veel in, en Om, NOORTHOOREN;

U seer vermaart Geslagt.
'T sy VADER, OOMS, of NEEVEN,
Sie men, Staagh Hoog-geagt,
En in U Eer, Verheeven;

Wat diend'er meer gesegt,
Lof, sy U PROFESSOOREN,
Door wien, g' hebt Opgelegt,
Dat ieder nu kan hooren;

Dus praalt HEER STUUL' syn NAAM,
Naar Wensch, in alle Landen,
De Vleug-len van de FAAM,
Voer hem aan and're Stranden.

Was LEYDEN, te bepaalt,
Voor 't Ruyme, van syn Geest,
Dat hy word' Ingehaalt,
Daar men de Wysheyt leest.

IN OVER ZEE' ZE TAAL
Kan men ook Wysheyt hooren
Geluk in U Onthaal
Myn Vrind binnen NOORTHOOREN.

L. V. GRASSTEK.

HONORI, ET MERITIS

Ingenui & Eruditissimi Domini

JOANNIS HENRICI STULEN,

Cum post dissertationem de Atrophiâ, summâ cum laude, publicè defensam, in almâ, quæ Lugduni floret Batavorum, Academiâ, omnium applausu Medicinæ Doctor proclamaretur.

Nunc HENRICE, tuos, tandem cecinisse, Triumphos,
Atque tuas, liceat, laudes memorasse JOANNES:
Sic decet; & lætor, nunc affulsisse, sodali,
Tempus, quo dabitur, meritissima reddere vota:
Ast simul & doleo! mihi quo non gratior alter,
Promeritas laudes, nequeam quod reddere Amico;
Mutua amicitiæ, gratissima pignora nobis,
Munera jam dudum inter nos, tamen, intemeratè
Culta vel invitum, tenui modò carmen avenâ
Me modulari instigarunt, Calamumque vibrare
Indoctum quamvis, cunctos retulisse Triumphos.
Virtutem, & genium, queis te NATURA beavit,
Non memorare lubet, quoniam notissima cunctis,
Nec, qui te decorant, mores laudare modestos;
Provolo ad ingenii, quibus es ditatus abunde,
Luxuriantis opes, præsens quas pagina prodit.
Scilicet ut purum dignoscitur ignibus aurum,
Tempore sic nostro sana est doctrina probanda,
Exculti ingenii specimen, quæ prodit Amici.
Scilicet haud levis, ast tractatur atrophicus ipse
Morbus, vix notus, summis nisi in Arte Magistris.

Siccine ſcrutaris tabefacti corporis imas
Cauſas, excultus quas ſuſpicit arte Magiſter?
Siccine tu, de quo vel deſperaret APOLLO
Moliris gratam Maraſmo adferre Medelam?
Pulchrè agis, optatam, miſeris præſtando medelam
Pulchrè agis; & reddent tibi juſta Encomia laudum
Curati per te, juſtiſſima atrophicus ipſe.
Gratulor! ergo tibi, Juvenum lectiſſime (cincto
Pro meritis, meritò, victrici tempora lauro)
A ſævâ fauſtos referas quod morte Triumphos;
Sed ſimul & doleo! caro quod priver Amico;
Nempe ſodalitii ſummo dum lætor honore,
Ad Patrias, revocatus abit STULENIUS, oras,
Quem vellem, poſſem, ſemper retinere, ſodalem.
Sed quid inacceſſas, verbis obtundimus, aures?
Sic fuit, eſt, erit, & quando ſic deſinet eſſe?
Nec tamen his cæptis fauſtis mea uota repugnant,
Dimittamque lubens, poſtquam valedixero paucis:
ÆOLE laxatos Zephyros, de carcere ſolve,
Atque iter hoc dubium, tremebundæ dirige Navis,
Quæ vehit à longo firmatum tempore Amicum;
Tuque Maris Rector, fluctus, NEPTUNE, minaces
Comprime, ut optatum liceat contingere portum;
Vosque DII faciles, quorum ſub numine tutum eſt,
Per Mare, per terras, per mille pericula rerum
Ferri, commiſſum vobis Servetis Amicum.
Eia age! ſic Patriam pete ſis, ſpes prima Parentum,
Et qualem te Leyda Virum formaverit, ipſo
Eventu oſtendas: felix! precor, eſto, medendo.

JACOBUS HASSELMAN Med. Cand.

OP DE INWYDINGE

Van de HEER

JAN HENDRIK STULEN,

Tot der Medicynen Doctor.

Soo ſtaat 't Bataefs Atheen bereyt uw in te weyen,
En plegtig d'ed'le vrugt te ſchencken van u vlyt,
Terwyl uw ſchrand're geeſt den uytgekogten tyt
Beſteed' in 't onderſoeck der hylſaeme artſenyen;

Geen wonder dat uw naem door menigte van reyen,
In lof geduurig ſweeft, het monſterdier ten ſpeyt,
Sie daer de Lauwerkroon volgt yver in den ſtreyt,
Dus tart geleerthyt ſelfs in glanz de heerſchappeyen;

Gaa voort geleerde Heer, en reck de leevensdraet
Des krancken, die naeſt Godt ſig op u hulp verlaet,
Verbreeck met uwen ſchilt de felle blixem ſchigten,
Die ſteets de ruyter op het vaele paert verſchiet,
En ſtreef manmoedigh voort door kommer en verdriet,
De doot moet hoe vergrimt voor letterkunde ſwigten.

TAEODORUS FELTMAN DE BEVEREN,
S. S. Theol. Stud.